STEPHANI VVINTON. EPISCOPI ANGLI, ad Martinum Bucerum de impudenti eiusdem Pseudologia Conquestio.

Nunc primum in lucem ædita.



Coloniæ ex officina Melchioris Nouesiani.
Anno M. D. XLIIII.

AD LECTOREM.

AEqui boniq; consules Lector pro tuo candore, si quid hic offenderis inconcinnum, aut ipso ordine rerum uerborumue confusum atq; turbatum. Conuitio enim inexpectato, quod dissimulare non licebat, inter tumultuosum belli apparatum ex tempore responsum est. Librarij uero culpam, si quae inciderit, non deprecor, tantum ut illi uni imputetur, postulo. Vale.

STEPHANVS VVINTON. MARTINO BVCERO.



ERTIVS iam annus agitur Bucere, cum ego tecum homine mihi non antea viso, libris tamen tuis & scriptis in publicum emissis non omnino ignoto, de rebus religionis familiari colloquio Ratisbonæ contuli, quo tempore, arrepta inde occasione, literis priuatis vltro citroq; missis, quod inter loquendum obiter inciderat, latius atq; apertiùs sumus prosecuti. Ego enim iam tum ne quid inde calumniæ nasceretur veritus, cum adhuc recens præsentium memoria vigeret, quod inter conferendum agebatur, datis ad te literis sum testatus, hoc nimirum consilio, vt præsens præsenti calumniam obijceres, si quam forte ex verbis putasses intendendam. Tu vero quid meis literis respõderis, & quid item iterum tibi rescripserim, scis. Certe apud me seruantur ipsa autographa, indubiæ veritatis clarissima testimonia. Ego etiam (Dei benignitate dicam) viuo & valeo Bucere. Viuunt item ex testibus, qui

nostro sermoni interfuerunt, homines illi cũ do-
cti tum probi. At quorsum tandem hæc? Equi-
dem dicam. Post summum de nostro congressu
toto triennio silentium ecce tandem tu nactus o-
casionem de Latomo triumphandi, me quoque
in idem spectaculum producis, tanquam si mul-
tos captiuos oris tui spiritu confossos & iugula-
tos vna catena obuinctos protraheres, & ad plau
sum plebi tuæ excitandum, & ad nominis tui glo
riam illustrãdam, perquam commodum videre-
tur & beatum. De Latomo iudicẽt alij, quo cum
hactenus quidem certe ingenue agis, quod homi
nis ad te missam epistolã nõ supprimas, sed com-
ponas cũ tuis, vt vna eademq; luce, quæ hinc in-
de dicta fuere, perspectis, suum oculato lectori iu
dicium maneat, te ne, an illum maluerit improba
re. Vter autem vestrũ rectius dixerit, non est tam
difficilis iudicatio, cum quid dixerit vterq;, vtrin-
que conuenerit. At vero meã causam, quæ tecum
est Bucere, facis longe duriorem, quem non argu-
mentis ex scripto, vt commodũ fuerit, petitis, non
rationibus a consecutione rerũ male collectis, non
fallacibus exemplis, quod soles, & nimium soles,
prosternere conaris, sed tanquam Iouis fulmine
ab arce tui pectoris emisso, falso in me conficto
mendacio, audacter & confidenter, ac nimium in
uere-

uerecunde & irreligiose qualemcunque apud homines de me opinionē extinguere moliris. Stultus, bliteus, stipes, caudex vere deinceps habear, si vnquam dixerim, quod tu in tuo ad Latomum libello me fingis tibi in interpretando Paulo respondisse. Et tamen quo fortius ferias, acuminis aliquid, scilicet ex aliorum iudicio, mihi tribuis primum, ac tandem ita dimittis, quasi doctum alioqui & ingeniosum, sed tanquam qui cōtra dominum sapiam, in transuersum actum. Videlicet vos soli domini causam agitis, cęteri dæmonum, quod cum impudenter & arroganter orbi inculcatis, eatenus etiam obtinere & valere vultis, ne quis audeat vestris mendacijs obstrepere. Ego autem cum videam publice expedire, vt cuius spiritus sis, qui spiritum tantopere tuum orbi venditas, omnes intelligant, operæ precium me facturum arbitratus sum, si tuam vanitatem argumentis ostenderem, & ipsius veritatis testimonio facerem palam. De me sic scribis:

Episcopus Vvinton. Anglus, qui legatum sui Regis agebat in postremis comitijs Ratisbonæ, homo multorum iudicio peracutus, cōtendebat ex hoc loco Pauli, Si quis firmus in corde suo cōstituit & decreuit seruare virginem suam, bene facit, Regi suo licere, vt sacerdotes proposita pœna Bucerus.

 capi-

capitis,ad vitam cœlibem adigeret. Dicebat enim Regi patri patriæ hac in re non posse minus esse iuris in suum populum, quam sit patribus & ciuibus priuatis in liberos cuique suos. Cunctis monerem illum, vt & ea, quæ Apostolus illis verbis, quę citabat, interposuisset, media cōsideraret, Nō habens necessitatem, potestatem vero habet voluntatis suæ, &c.

Vvinton. Vanus sim, si non in ipso statim ingressu narrationis a mendacio ordiaris. Ego ne tecum contendebam Bucere, qui in ipso statim limine colloquij præfatus sum, omnia hodie contentionis arma de re religionis controuersa sublata esse, nec superesse quicquam, quo causa iugularetur mala apud homines pertinaces & reluctantes? In quo explicādo cum multus fuissem, quod tibi paradoxum videretur, nonne eo tandem te annuente deuentum est, vt si quid a te interrogando elicere possem, eo demum, hoc est, tuo telo, non meo ad victoriam vterer, vt s. succumberes, tuis armis prostratus iaceres, non mea contentione? Aegre adductus es, fateor, vt id concederes, sed concessisti tamen, & interroganti respondisti benigne, quædam ibi largitus es, quæ nunc male narrando mihi tribuis, quum ego in illa Διατριβῇ tantum interrogarem, percontanter

& com-

& componerem, tua ea nimirum, quæ mihi tanquam certa donaueras. Et tamen dicis me cõtendiſſe ex loco Pauli, &c. Ego ne tecũ ex loco Pauli contenderem, qui hoc tibi ſumis, vt Paulum ex ſpiritu tuo interpreteris, eum ſenſum affingens, qui faciat ad victoriam? id quod etiam tibi tum præfatus ſum, inutiliter me verba effuſurum, ſi ad frangendam pertinaciam ſcripturæ autoritati, vt nunc ſunt hominum ingenia, inniterer, cuius ſenſus pro arbitrio vtrinque diſtrahatur? Tu vero interrogatus, quid iuris ſit patri in filios, num vt obedientiam exigat? conceſſiſti. Deinde quid Principi? num patris in ſubditos ius obtineat? annuiſti. Itaque tu dicebas Bucere id, quod me loquentem nunc facis, Regi patri patriæ, &c. Deinde cũ hoc ex te conſtaret, illud quoque percontatus ſum, num pater ſtatuere poſſet de virginitate filiæ? Iam cœpiſti homo tuo ipſius iudicio acutus olfacere, quorſum tenderem, & negaſti. Ego autem locum ex Paulo non citaui, ſed tibi ex Paulo, qui erat in manibus, legendum exhibui, vt facerem periculum, quid valeres in obſcuris ſcripturis explicandis, an hic quoque modicum videres, et iterum modicum, quod in concione ad populũ Ratisbonæ de percipiẽdis ſcripturis interpretatus es. Nihil hic dicã detrahendi

causa,

causa, sed quod accidit, eloquar. Videbaris mihi in legendo illum locum Pauli ita attonitus hærere, quasi ex Sibyllæ folijs aliquid abstrusum & παραδοξότατον protulissem. Hic non statim responsa dabas o bone, & tandem tamen sensum quendam reddere voluisti, qui tuæ quidem sententiæ suffragabatur, sed vim verborum non plene referebat, me vero adeo non admonuisti, ne hęc media verba omitterem (non habens necessitatem, sed potestatem voluntatis suæ) vt cum essent illa in cōtextu tibi ante oculos posita, ego te contra vrgerem, vt in textus interpretatione ne quid affingeres de tuo, quod verborum compositione non contineretur. Petebam vt proposito exemplo explicares, quid esset illa necessitas, & quam item intelligeres potestatem? Atq; hic instabam, vt notares antithesim necessitatis & potestatis, & quod præcedit, firmus statuit in corde suo, quæ verba non videntur ociose posita. Et item quod sequitur, Et hoc iudicauit in corde suo. Ego tecū ex eo textu non contendebam, sed tecum absque contentione expēdebam sensum verborum, vbi tua cunctatio in magnam me admirationem iniecit. Videbam te conturbatum animo, quod toties occinerem illud, exigere me sensum, quem verba referebant, & mihi quidem videri Paulum

notare

notare duo tempora retinendæ virginis, vnum neceſſitatis, aliud poteſtatis. Poteſtatem autem ego ſemper intellexi, quod Græci τὸ ἐφ' ἡμῖν dicunt, quod niſi in vtranqꝫ partem valeat, nulla eſt, neqꝫ enim proprie poteſt retinere, niſi poſſit & non retinere, breuiter poteſtatis verbo internam iſtam, non externam facultatem ſignificari. Et de diuitijs (quod addis) nunqꝫ ſomniaui, neqꝫ enim homini ſobrio hoc commentum venire in mentem potuit, vt ſenſum tam abſurdum apud ſobrios proferret. neqꝫ tui illudendi cauſa tecum conferebam, & ſcripturam veneror, vt par eſt. Equidem hunc locum ſcripto apud te tractaui, quo edendo, ſi ita videretur, meam orbi ineptiam, ſi quę eſſet, vere prodidiſſes, cum nunc turpiter a te con ficto mendacio tuam apud omnes vanitatem prodas, tuam nimirum malitiam, ita diſpenſante diuina prouidentia, vt ſpiritus tuus, de quo tantopere gloriaris, vt eſt vere ſpiritus mendacij & erroris, inſigni aliquo mendacio manifeſtetur. Itaque maneat in cauſa, mendacium iſtud tuum & impudētiſſimum & vaniſſimum eſſe, de quo & Deum teſtor, & conſcientiam tuam appello, ad teſtimonium ſcriptorum meorum, quæ apud te ſunt, prouoco, et idoneis me teſtibus id probaturum confirmo. Atque etiam illud addo, non

intelligere etiamnum te, quid hic Pauli locus significet, & apprime ridiculum esse, quod de vocatione filiæ comminisceris. Quicquid sit, vos solos habet autores, vestrum inuentum est, vestrum commentum, ne calumnieris me sapere contra scripturam. Ita ne intelligemus Paulum Bucere hoc in loco? vt ista verborum toties repetita emphasi, Si pater firmus in corde statuit, si nõ habet necessitatem, sed potestatem suæ voluntatis. Si hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suã, bene facit, nihil aliud significetur, quam si filiam vocatam seruet, bene facit? Vocatio tota in filia esset, opinor, de qua in textu nihil hic dicitur, sed quibus gradibus pater ad conseruandam filiam virginem procedat, describitur, nimirum si firmus statuit in corde, &c. Dic Bucere, vnde firmitas? Consulat te autore infirmam cum sexu tum ætate puellam, & sciscitetur, num vocata sit? Quæ si se vocatam esse annuerit, iam pater statuet (autore Bucero) firmus in corde, & sequitur, Non habens necessitatem. Audi quæso Bucere, & expedi, vide cum hac tua interpretatione ἀνάγκην. (non habens necessitatem) Imo vero iam habet necessitatem pater, vt non sit hæc propria species, quam Paulus intelligit. Si enim filia iam vocata sit, non recte de patre dicitur,

quod

quod non habeat necessitatem, quum vocationi Dei cedere necesse habeat. Ac illud rursum quæro, si nihil potest esse cuiquam ipsi secundum te firmum, vt tanquam certus de vocatione, perpetuo cœlibatui se mancipet, quamnam de filia firmitatem concipiet pater? An quod dicat se filia vocatam esse? & credulus pater iam statuat in corde seruare virginem suam? Deinde etiam illud, si non de perpetua virginitate sentit Paulus, quum de seruanda virgine scribit, non videtur aliquid ambigui ijs verbis dissoluisse, quum nullo nuptiarum tempore præfinito, intra quod mulieres necessario nubant, nemini dubium esse possit, quin quæ virum non repperit, a patre interim tolli possit, & eousque virgo manere innupta apud patrem, dũ honesta dissoluendę virginitatis cõditio afferatur. Breuiter quod Paulus paucis verbis eloqui potuisset, rei quæ agebatur consentaneis, hoc est, secundũ te, vt quæ vocata esset virgo, apud patrem in sua vocatiõe maneret, obscuro verborũ inuolucro, a re quam intelligit remoto, nunquam conclusisset tot verba frustra & sine sensu, ac (si tuum sensum recipimus) inconsistentia proferens. Equidem non mihi id arrogo Bucere, vt difficiliores scripturæ locos statim aperiam, & modestius videtur in ambiguis

alia atque alia coniectura prolata scepticum agere, quam quod tu facis, incunctanter statuere, quę ipse non intelligas. Cuius ignorantiæ tuæ fidem vt aliquam facerem, libuit Græca in hunc locum scholia Græce adscribere. Sic enim habēt.

Photius. Ἀσθένεια φύσεως ἀνθρώπου τὸ νομίζειν ἀσχημονεῖν, εἴγε τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα φυλάττει παρθένον καὶ θεῷ ἀφιέροι, εἰ δέ τις, φησίν, ἀσχημοσύνην νομίζει φέρειν αὐτῷ ἀνέκδοτον γάμῳ φυλάττειν οἴκοι τὴν θυγατέρα παρθενεύουσαν, καὶ οἴεται οὕτω μᾶλλον ὀφείλειν γίνεσθαι, δέον ἐκδοῦναι, ποιείτω ὃ θέλει. οὐ γὰρ κεκώλυται ὁ γάμος, (μὴ γένοιτο) εἰ καὶ ὑψηλότερον ἡ παρθενία. ὥστε εἰ βούλονται, ἐκγαμείτωσαν αὐτάς, φησίν. εἰ δέ τις ἕστηκεν ἐν ταύτῃ τῇ γνώμῃ ἑδραῖος, ἤτοι εἰς τὸ μὴ ἐκγαμίσαι αὐτήν, μὴ ποιῶν τοῦτο, ὡς ἐξ ἀνάγκης καὶ ἀπὸ νόμου κωλυόμενος (ὁ γὰρ οὕτω τοῦτο ποιῶν, λίαν ἁμαρτάνει) ἐὰν οὖν τις τοῦτο ὡς μὴ ἔχων ἀνάγκην ποιῇ, ἀλλ' ὡς κύριος μὲν ὢν ἑκατέρου θελήματος ἀπὸ τοῦ νόμου, αὐτὸς δὲ αἱρετώτερον κρίνων τὸ μὴ ἐκγαμίζειν. ὁ οὗτος καλῶς ποιεῖ φυλάττων παρθένον, καὶ ἀμέριμνον τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα. Δύναται δὲ τὸ, μὴ ἔχων ἀνάγκην, καὶ ἄλλως οὐδὲν ἧττον οἰκείως ἐκληφθῆναι, δέον μὴ ἀναγκαζόμενος τὸ ἐναντίον ποιεῖν ὑπὸ τῆς θυγατρός. ἐὰν ὁρᾷ γὰρ τὰ τῆς θυγατρὸς εἰς τὸ ἐκγαμίζειν αὐτὸν ἀναγκάζοντα, οὐκ ὀφείλει παρθένον αὐτὴν τηρεῖν εἰς τὸ ἐναντίον αὐτήν, καὶ τῆς ὁρμῆς καὶ τῆς γνώμης ἐκβιαζόμενος. ἑκούσιον γὰρ ἀλλ' οὐκ ἀκούσιον τὸ τῆς παρθενίας. ἐπεὶ μετὰ τοῦ ἀκουσίου, καὶ εἰς χεῖρον ἂν ἀποκλίνειεν, ἑαυτῇ μὲν συγγνώμην φέρουσα, εἰς δὲ τὸν βιασάμενον παρθενεύειν, τῆς ἀτοπίας τὴν αἰτίαν ἀναφέρουσα. ἢ τὸ μὴ ἔχων ἀνάγκην καὶ τοῦτο ἂν ὑποδηλώσειεν. μὴ ἔχων, φησίν, ἀνάγκην τοῦτο ποιεῖν, ἢ ὡς προαφιερώσας τῷ θεῷ, καὶ ἀναθεὶς παρθενεύειν, ἢ ὡς τῆς θυγατρὸς ἐπὶ τοῦτο καταναγκαζούσης. τῷ γὰρ ὑπό τινος τῶν εἰρημένων ἀνάγκην ἔχοντι μὴ ἐκγαμίζειν, οὐδὲ βουλεύσασθαι ἄλλως ἔνι, οὐδὲ κρίσιν ἄλλην ἐν τῇ καρδίᾳ μελετῆσαι. ἀλλ' οὐδὲ ἐπιπλοῦσι τηλικοῦτος ὁ ἔπαινος, ὅσον μὴ ἐπιπλοῦσι τὸ κατάκριμα, ἀλλὰ πολλαπλάσιον. ὃς δὲ χωρὶς ἀνάγκης τοῦτο κέκρικε ποιεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ, παρ-

θένον μου ἔχων, μέγα κατώρθωσεν. ἐκγαμίζας δὲ, οὐδὲν ὅλως ἥμαρτεν. ὁ θέλει, ποιείτω. εἴτε ἐκγαμισάτω, φησὶν εἴτε τηρείτω παρθένον. οὐδέτερον γὰρ ἁμαρτία εὐδοκεῖ δὲ μᾶλλον ὁ φυλάττων παρθένον ὡς προϊών, φησι. θέλω ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι, ἤγουν παρθένους. Morbus quidã & imbecillitas naturæ hominum est, arbitrari indecorum fore, si quis suam filiã seruet virginem & Deo consecret. Quod si quis, inquit, dedecori sibi futurum putet, innuptã seruare domi filiam, quæ in virginitate educata fuerit, & putet sic potius debere fieri, videlicet in nuptias dari, faciat quod vult, non enim prohibetur matrimonium, absit hoc, etiam si res quædã sublimior sit virginitas, adeoq; si volunt, nuptum, inquit, dent illas. Sin vero quispiam steterit in hac sententia firmus, vt in nuptias omnino nõ det illam, nec faciens hoc tanq̃ ex necessitate & a lege prohibitus. (Qui enim hoc fecerit, vehementer errat) Si, inquam, quispiam tanq̃ nulla necessitate adactus hoc fecerit, sed tanq̃ suæ in alterutram partem voluntatis dominus a lege effectus, ipse quod potius est, eligens, videlicet non dare nuptum, etiam hic bene facit, dum retinet virginem vacuam eo pacto sollicitudine filiam. Potest autem & illud, non habens necessitatem, etiam aliter non minus proprie accipi, tanq̃ non coactus a filia secus facere. Si enim videt filiæ conditionem sibi, vt eam elocet, necessitatem afferre, non debet eam seruare virgi-

Immane quantum differat a Buceri doctrina.

 nem,

nem, videlicet illam vi quadam in id cogẽs, quod
Virginitas volũtaria eſt.
eius & cupiditati & ſentẽtiæ aduerſetur. Volũta
ria enim, haud item inuolũtaria, res eſt virginitas.
Vbi itaqꝫ voluntas defuerit, ibi in deterius cũ de-
flexerit mulier, ſibi facile condonat, omnẽ in eum
culpam referens, qui inuitam coegerit manere vir
Non refert in Deũ, q̄ non dederit donum, quod Bucerus facit.
ginem. Vel hæc verba, non habens neceſſitatem,
etiam & illud ſignificent, Non habens, inquit, ne-
ceſſitatem id facere, vel tanquam antea conſecra-
rat Deo, & dicauerat cœlibatui filiã, vel tanquam
filia ad hoc cogente. Cui enim ex alterutro prædi
ctorum neceſſitas incumbat, nõ dare in matrimo
nium, huic neqꝫ aliud conſilium capere licet, neqꝫ
aliam in corde meditari ſentẽtiam, quin etiam ne-
que hæc præſtanti tanta laus eſt, quanta, ſi non fe-
cerit, maneat condemnatio, atqꝫ adeo multis par-
tibus maior. Cæterũ, qui cum habeat virginem,
abſque neceſſitate ſtatuerit hoc facere in corde, is
virtutis munere egregie functus eſt, collocans au-
tem in matrimonio, nec ſic quidem omnino pec-
Quõ quod vult, faciat, ſi vera tradit Bucerus?
cauit. Quod vult faciat, ſiue maluerit nuptum da
re, inquit, ſiue ſeruare virginem, neutrũ enim pec-
catum eſt. Magis tamen ſe Deo probat, qui ſeruat
virginem, quemadmodum etiam pergit Paulus
dicere. Volo omnes ſine ſollicitudine eſſe, nimi-
rum virgines. Hactenus Photij commentaria re-
tuli-

tulimus. Sequuntur Oecumenij.

ὁρᾷς πῶς ἐκ προοιμίων θαυμάζει τὸν τηροῦντα αὐτοῦ παρθένον. ὃς ἕστηκε, φησίν, ἑδραῖος ἐν τῇ καρδίᾳ. δηλονότι ἐκεῖνος ὁ διὰ τὴν δοκοῦσαν ἀσχημοσύνην καθυφεὶς καὶ ἐκγαμίσας, οὐχ ἕστηκεν ἑδραῖος ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ θεοῦ. μὴ ἔχων ἀνάγκην. οὐκ ἔχει, φησίν, ἀνάγκην μὴ ἐκγαμίσαι αὐτήν· εἰ γὰρ ἂν οὔτε οὕτως θαυμάσιος ἦν μὴ ἐκγαμίζων. τῇ γὰρ ἀνάγκῃ καὶ οὐκ αὐτῷ τὸ ἔργον ἐλογίζετο. νῦν δὲ αὐτοῦ φιλοτιμία ἐστὶ τὸ πᾶν, καὶ θεοφιλὴς προαίρεσις. ὁ γὰρ ἄκων καὶ ἐξ ἀνάγκης φυλάττων τὴν ἑαυτοῦ παρθένον, ἄχαρις. ὁ δὲ διὰ τὸν τοῦ κυρίου πόθον μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἀλλ' ὃ θέλει τοῦτο ποιεῖν δυνάμενος, φυλάξει, ἐκεῖνος θαυμάσιος, καὶ τοῦτο κέκρικεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. ἑδραῖον ἵνα ὑποτίθεται ἄνθρωπον, ὃν οὐκ ἴσχυσε σαλεῦσαι ἡ δοκοῦσα παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἀσχημοσύνη, τὴν τῶν φυλαττόντων παρθένους τὰς θυγατέρας. καλῶς ποιεῖ, ἐπαινεῖ αὐτὸν τῆς ἑδραίας γνώμης. Quod Latine sic reddi potest, Vides, vt ex ipsis facti præludijs laudet seruantē virginem suam. Qui stetit, inquit, firmus in corde, videlicet ille, qui propter conceptam vulgo dedecoris opinionem præuaricatus fuerit, & filiam in matrimonium dederit, non stetit hic firmus in opere Dei. Non habēs necessitatem. Non habet, inquit, necessitatem non elocandi illam, siquidem enim neq; sic laudandus erat non elocando. Quod enim facit, nō illi, sed necessitati accepto ferendū est. At vero nūc et animi magnificētia, et Deo grata electio in vniuersum illius patris est. Qui enim inuitus, & ex necessitate seruat suā virginem, nullā omnino gratiam promeretur. Qui vero pro studio, quod in dominū fert, non habens ille necessitatem, sed qui quod velit, hoc

Cœlibatus est electionis.

lit, hoc

lit,hoc poterit etiam facere,seruabit virginem,hic demum laude dignus eſt. Et hoc iudicauit in corde ſuo. Stabilem hominem & ſolidum, huius ſententiæ ſubiectum facit Apoſtolus,videlicet quem non valeat commouere ,quod in ſeruantibus filias virgines opinione vulgari pro dedecore habetur . Ex his commentarijs ipſa luce clarius eſt, aut ignorare hūc locum Buceri ſpiritum,aut huic tanquam poſteriori prophetæ eſſe reuelatum. Ego autem id æſtimandum cæteris relinquo, credendum ne ſit magis ſimplici vetuſtati,quæ cauſam Chriſtianorum agebat communem, & ſedatis affectibus religionem venerabatur , an eorum arrogantiæ,qui ventris & Veneris impudentiſſimi patroni , inceſtos etiam & nefarios coitus apud orbis tribunal,omni religione ſpreta & conculcata , defendere : & ne ipſi in pietatem peccaſſe videantur, omnes in impietatis barathrum pertrahere, equis , velis, manibus, pedibus, moliuntur . Sed quid confero veteres veritatis eruendæ ſtudio , ſummo apud omnes honore habitos , cum ſpiritu tuo Bucere , tam inſigniter mendaci? Audebo dicere,aut te neſcire, quid ſcribas , aut data opera obſcurare , quæ cauſam tuam lædant. Tu aude contra iſtos irridere(vt ſoletis) Photium dico & Occumeniū, aut fatere ingenue

igno-

ignorantiam tuam. an hic ſimile quicquam fictæ interpretationi tuæ? Imo, inquies, habeo, filiã non ſeruari virginem inuitam. Concedo. at qua tandem ratione? an quia dono caret, quia non eſt vocata? minime gentium. Non quod donum & vocationem negligerent veteres, ſed quod Dei benignitatem omnibus expoſitam agnoſcerent, & corporum noſtrorũ in æſtus & libidines pronitatem noſtræ intemperantiæ ex Paulo, noſtræ malitiæ in vniuerſum deputarent, nec ad minuenda maleficia, ad eleuanda noſtra peccata (quod vos facitis) Dei in donis parſimoniam aut delectum cauſabantur. Labimur haud dubie, quia dona & vocatio abſunt, ſed noſtra demum eſt culpa, quod non dentur ocioſe petentibus, aut auferantur ignauis. Excutiat, qui volet, hæc commentaria, & plane reperiet toto diametro a noua veſtra ſchola diſſentire, id quod ex ipſorum lectione facile eſt animaduertere. Data occaſione ad te ſcribendi, nonnihil dubitaui Bucere, quid agerem, integram ne tecum de cœlibatu diſputationem repeterem, an tuam in me vanitatem redarguiſſe contentus, te omnino negligerem atque contemnerem, hominem mendacij impudentiſſimi conuictum. Quid enim agas cum eo, qui nihil ex fide, nihil ex vero loquitur, ſed quod ad

causam, quam suscipit, commodum est, fingit atque refingit, & omnia fere factus est omnibus, vt omnia misceat atq; confundat. Primum enim tui specimen præclarum orbi dedisti, dum infamem & impiam Sacramentariorum causam corrogata omni eloquentiæ supellectile adornare, & veritatis prætextum obtendens, strenue defendere annisus es. Hic cum parum promoueras, deficis ad Lutheranos, inde vt arbiter scilicet honorarius vtriusque sectæ, ad componenda domestica dissidia te ingerebas. Ab hoc ecclesiæ & disciplinæ veteris, si dijs placet, instaurator, nefarij coniugij tum re tum verbis assertor, & cœlibatus denique hoc in libello non sine manifesta præuaricatione patronus. Celebras enim magnis laudibus cœlibatum Bucere, multis præconijs in cœlum tollis, sed tam parca manu a Deo datum affirmas, tam multis cautiõibus a spiritu sancto circũscriptum, vt ne quis audeat appetere, adeo quidem, vt quod de cœlibatu dixerat Christus, quo Dei in huius doni largitione munificentiam ostenderet, Capiat, qui capere potest, id ex tui cerebri sententia tanquam per ironiam prolatum videatur, non secus ac de re inexpugnabili vulgo dici solet, Capiat, qui capere potest, dum significant neminem expugnaturum. Dei donum

esse

esse cœlibatum, omnes fatentur, nec sine Dei do no vlla est vocatio, sed suam Deus benignitatem nemini claudit, dona sua summa libertate, non χάριν modo viuificantem, sed χαρίσματα etiam ad ecclesiæ augmentum & ædificationem accommoda ita offert Deus, vt non capientium ignauia arguatur, & affluenter dantis laudetur bonitas. Quod eousque verum esse ex scriptura docemur, vt de sublimi hoc cœlibatus dono dixerit veritas, Capiat, qui capere potest. Cuius sensus est, vt placet orthodoxis: Capiat, qui capere vult. Sed hanc tu interpretationem reijcis magistraliter. Non habet (inquis) textus, qui capere vult, sed qui capere potest. Quis hoc negat? at non de verbis, quæ certa sunt, sed de sensu quæritur, qui in verbis latet, in quo orthodoxos opponam tibi, vt autoritate premam, cui tu non cedis, sed ad verba prouocas, quæ, quam vim habeant, videamus. Qui potest capere, capiat. Hoc verbo (vt tu ais) docet eos duntaxat hanc rem capere, quibus datũ est diuinitus. Accipio, quod dicis, quatenus illud significat, nõ possumus aliquid ex nobis tanquam ex nobis. Cæterum vnde manat potestas, nõ ambigitur, est enim desursum omne donum optimum. In eo vero cõtrouertitur, an quæsita voluntati potestas in eius tanq̃ peculium ita

 con-

concedat, vt in illius facultatibus numeretur. Hoc est, an Christiani hominis voluntas, qui in Christo confortãte potest omnia, illius potestatis vim sua appellatione referat & exprimat, vt quatenus sit per Christum oblata potestas, eatenus etiam voluntatis pomeria proferamus, & homini Christiano tribuamus in his, quæ diuina ope adiutus, poterit præstare. Quod si est, vt est certe, quid obstat, quo minus subiecta ita commutemus, vt qui potest capere, capiat, interpretemur, non vt quicunque possit, velit, sed vt qui velit, etiam posse videatur, propter additam diuinitus voluntati potestatem, & orthodoxorum sententiam sequamur, vt qui velit capere, capiat. Offert, inquies, potestatem Deus, sed nõ omnibus. At quo id argumento? Dices fortasse, quoniam verba sic habent: Non omnes capiunt, sed quibus datum est. An tu putas, quia non dat omnibus Deus, nec offert etiam? Omnibus offert salutem, quum ita inuitat: Venite ad me omnes, &c. Nec tamen dat omnibus, cum sic conqueratur, Quoties congregare volui, & noluisti. Datur enim ijs solis, qui habent, id est, qui Dei benignitatem non aspernantur, sed amplectuntur & retinent. Donum videlicet duarum est partium, tum dantis, tum donatarij, nec donasse proprie Deum dicen-

dicendum eſt,niſi ſit qui acceperit.Itaq; ſignanter Paulus dicit vnumquenque habere donum ex Deo,alius ſic,alius vero ſic, vt cum habere dicat, aperte ſignificet accepiſſe. Si enim habes, inquit, accepiſti.Non accipimus autem, ni offeratur.Cũ vero Deus ſuam in omnes munificentiam expoſitam habeat & vltro offerat ſingulis, quatenus certe quiſq; accipit,huic etiam datum dicitur, vt non omnes capiãt cœlibatũ,quibus,vt poſſint capere, fuerit oblatũ.Sed quibus demũ datum eſt? his qui Dei benignitatẽ fuerint amplexi & agnouerint cũ gratia.Inexhauſtæ benignitatis Dei eſt, quod offerat omnibus, noſter autem defectus in cauſa eſt,ſi omnino non det, aut noſtra electio, ſi nõ det eadẽ. Quare vnuſquiſq; habet donum ex Deo,alius ſic,alius ſic? q̃m tanquam ex cumulo abundanti omnibus expoſito, alius hoc accipit ſibi,alius illud,& omnes Dei benignitate ditantur, qui diues eſt in omnes,qui inuocant eum.Hic tu exiges, vt probem Deum offerre omnibus cœlibatus capiendi poteſtatem, & dices aliam eſſe rationem ſalutis æternæ,quam ſua morte Chriſtus procurauit omnibus,vt omnibus neceſſariam,aliam cœlibatus cauſam eſſe, non perinde neceſſariam.Neq; ego iſta ita cõpono Bucere tanquam omnino re eadem, ſed formam elocutionis ſimi-

lem in vtroq; obſeruari oſtendo, vt quemadmodum dicitur, non omnes capiunt, niſi quibus datum eſt, ſic nec omnes obediunt Euangelio, niſi quibus datum eſt, nec ideo videri non oblatum omnibus, quod non ſit omnibus datum. Tu verba vrges, & ego item verba in te retorqueo. Nam ſenſum iam olim certum ſtatuerunt orthodoxi, verbis (ſi per vos liceret) conſonum. Sed audi argumenta probationis, quam exigis. Bonum eſt homini mulierem non tangere (inquit Paulus) nec dicit illi aut illi bonum, ſed in vniuerſum indefinite omnibus. Etenim volo, inquit, omnes eſſe ſicut meipſum. Quod vero non omnibus conuenire poſſet vllo modo, id non optaret Apoſtolus omnibus. Porro autem haud quadrat cum munifica Dei benignitate, vt aliquibus tantum offerat cum acceptione perſonarum: quod tam clare per os Apoſtoli elocutus ſit expedire omnibus. Deniq; quum duæ tantum conditiones vitæ noſtræ ſint, cœlibatus & matrimonium, minime faceret Deus alterutrius poteſtatem, ſi non ſingulis offerret vtriuſque electionem, nec in alteram ſolam conſtaret volũtas, electio aut poteſtas, quæ cum doni ratione conueniret. Sed coactio potius & in vnam partem impulſio merito diceretur a munere & vocatione aliena. Quod ſi ſingulis offert

fert vtraq;, vt velint et eligant, etiam omnibus offert omnia, ne aliquibus non munificus videatur. Quo autem fiat, vt non omnes eligant eadem, ſed alius habeat ſic, alius ſic, nouit καρδιογνώστης, & ſine veri præiudicio a nobis ignoratur. Habes ad rem, quæ competunt, argumenta, ad hominem autem, hoc eſt, te, illud accipe. Quum nuſquam in ſcripturis expreſſum id habeas, Deum omnibus non offerre, aut omnibus non facere poteſtatem cœlibatus, ridicule negas extremum inductionis, qui concedis principium. Fateris enim ipſe offerri aliquibus, vt ſi illi & illi offeratur, nec habeas ex ſcriptura obicem, quo ſiſtas progreſſum ſingularium, nihil ſane per te impediat eouſque producere ſingularia, vt extremum vniuerſali concludatur. Ridet Cicero Stoicos, quod animas negarent immortales, & tamen a morte in aliquot annos ſupereſſe faterentur. Equidem ſcio non eſſe exigendum, vt qui particulari conſentit, continuo vniuerſali aſſentiatur, neque quia ſcio aliquod vinum calefacere, neceſſe habeam fateri omne vinum calefacere. Sed aliud eſt incognita pro cognitis non habere, quod eſt prudentiæ, aliud temere improbare, quod neſcias. Tu Bucere negas omnino, hoc eſt, tanq̃ ſciolus improbas huius propoſitiõis veritatẽ, Deum omnibus

offerre

offerre cœlibatus donum, & tamen concedis de aliquibus, nec profers scripturam, quæ tibi adstipuletur, & cui tua scientia in negatione vniuersalis innitatur. Adeo tuum esset docere, postquam de aliquibus fassus sis, Deũ tamen non offerre omnibus, quod ni poteris, & impudenter facis & temere, cum affirmando, quod ignores, tum extrema negando post cõcessa principia. Tu vero clamabis id te iam docuisse ex Paulo, qui ait vnumquenque habere donum ex Deo, alium sic, alium vero sic, atq; adeo illud addis de tuo, habet a Deo quisque suam vocationem, suum munus, suũ donum, contra quæ orare auxilium & præsidium Dei, vt pium non est, ita quoq; frustra & temere fit. O fortem assertorem. An quia tu eligis in matrimonio viuere, non fuit oblatum, vt viueres cœlebs, si maluisses? Imo vtrunq; oblatum fuisse inde constat, quod alterius alioqui haud esset electio, quæ vnius partis nulla est, vt antea est dictũ. Itaque infirmant tua, quæ profers, non statuunt. Qui enim potest capere, potest & non capere, cũ alioqui falsum sit posse capere. Nõ autem omnes capiunt, sed nec omnes expetũt. Et sunt qui se fingant capere, nec prestant, quod profitentur, homines videlicet sunt, quorum malitia tamen immutabilem rei veritatem non concutit. Si mores hu-

ius

ius temporis corruptos intuearis,& Dei in homi
num genus clementiam ab illis ęstimes,rarissima
sunt hodie cœlibatus dona, nec multa frequenti-
ora ipsius Christianismi. Tu certe Bucere, qui te
orbi magistrum venditas, nec veritatis donum
habes nec charitatis, qui fratrem sine causa falso
traducis,non quia non offerat quotidie Deus, &
multis modis ad ea amplectēda inuitet & prouo
cet, sed quod terra nostra a nobis neglecta atq; in
culta,semen Dei bonum non foueat,non contine
at,nec herbam inde virentem proferat, spinis au-
tem & tribulis occupata iaceat. Quę cum ita sint,
vt insipientes tamen dicimus,Non est Deus, qui
conferat,quum nostra solius culpa sit, qui collata
reijcimus nec retinemus. Tu vocationes quas-
dam tuas in cœlibatu somnias,& cautiones spiri-
tus,quibus ego excutiēdis audacter me ingeram,
vt cum in fingendis contra cœlibatum cautioni-
bus tuum spiritum retexero, minus mirentur o-
mnes tuum in me homūculum tam insigne men
dacium, qui tam irreligiose in spiritum Dei san-
ctum mentiaris. Vocationis vocabulo magnum,
vt par est,habeo honorem. Dei enim voce multi
fariam multisq; modis (vt inquit Apostolus) æ-
dita ad salutem congregamur, & in sanctam Ec-
clesiam (extra quam nō est saluatio) cōuenimus,
D nec

nec quisquã ad nuptias venit aut mensæ domini accumbit, nisi vocatus & inuitatus. Quicquid autem habemus boni aut honesti, Dei donum est, alius sic, alius autem sic, vt qui gloriatur, glorietur in domino vocante, inuitante etiam & pro sua munificentia ita dispensante singula sua dona, vt nec inutilia conferat, nec deserat donatarium, ni deseratur. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. At tu Bucere in vocationis verbo sensum aliquem apud te retines a veritate ecclesiæ catholicæ longe alienissimum. Ita enim loqueris de vocatione & dono, quasi illud vestræ scholæ dogma sequare, Omnia contingere necessitate absoluta, & tanquam certa hominum corpora ea humorum tẽperatura ad cœlibatum finxerit Deus, quæ illi suo dono amplectendo conueniant, vt sine omni naturæ lucta, sine omni vi (sic enim loqueris) illud retineant atq; conseruẽt. Deniq; quo consilio nostri agricolæ, non cuiuis solo, etiam bono, quæuis grana temere committunt, sed pro ratione temperamenti, alij triticum, alij ordeum, alij auenam deputant: similiter (vt tibi quidem videtur) Deus non cuiusuis habitus corpori, sed ferendo cœlibatui accommodo, donum illud cœlibatus sua prouidentia prædestinat, scilicet ne naturæ stimulis diuina largitio suc

cumbat & turpiter profligatur. Quod si ita esset, nouum etiam dono nomen quæratur, quod non iam continentia aut abstinẽtia proprie diceretur, sed impotentia, aut (vt inepto commento apta appellatio tribuatur) corporis ad Venerẽ ineptia. Atq; isti soli sunt a te vocati ad cœlibatum. Hæc sunt vocationis tuæ, quantum licet conijcere, signa, quæ vt quisq; luxu ac delicijs extinxerit, pabulo videlicet lætiori natura exultante, falsum se de vocatione statim deprehendat, ac iugo continentiæ, quod voto iam induxerat, excusso, demum causetur nihil donasse Deum, illis se annumeret, qui non capiunt, & habeat iam ex præcepto vxorem propter fornicationem. Hęc est summa doctrinæ tuæ, vt quidem ab homine mendace, tuo spiritui consonæ, a Dei autem veritate remotissimæ. Nihil simile diuus Paulus, diuinæ veritatis dispensator fidelis, qui se spiritum Dei habere vere profitebatur, id quod in expendendis cautionibus tuis, pluribus prosequemur. Sed antequam ad ipsas quinquifidas cautiones accedis, magna ipsas arte ad fallendum excogitatas, viam tibi præmunis ac præstruis argumento Paulinæ ad Corinthios epistolæ, a vero, cuius nullam nullibi rationem habes, ad instituti tui commodum detorto. Primæ enim partis illius in pri-

ma ad Corinthios epiſtola ſeptimi capitis argu-
mentum erat, vt & veteres tradunt, & ex conte-
xtu liquet, dubitaſſe Corinthios, non vt tu fin-
gis, Num bonum eſſet in connubium initio non
venire: ſed num Chriſtiano liceret ductæ an-
te Chriſtianiſmum vxori etiamnum adhærere:
Non videbantur de eo dubitare Corinthij, num
qui cœleſtia quæreret, contemneret terrena: et an
cœlibatus cõiugio eſſet Deo gratior: ſed in eo ex
pendendo iniquiores omnem matrimonij vſum
præ ſtudio pietatis immodico abieciſſe vide-
bantur & neglexiſſe. Homines, vt in illo ſerui-
do zelo nimij, nec illud temperamentum adhuc
edocti, quo nam pacto diuina petentes, huma-
na etiam officia non prætermitterent, nec Dei
prætextu, quod fratri debetur, minus curarent.
Multa docuerat Chriſtus, quæ non recte intelle-
cta, videbantur cum matrimonio aperte pugna-
re. Qualia ſunt, Qui non reliquerit patrem, &c.
Et item alia non pauca. Quibus non mirum ſi
effectum ſit, vt de coniugio, num in Chriſtianiſ-
mo retineretur, dubitarent. Cuius rei ambiguita-
tem vt aperte diſcuteret magnus Dei Apoſtolus,
hunc ordinem fecit, vt de coniugatis primum, de
inde incõiugatis, poſtremo virginibus tractet, vi
delicet vt arrepta occaſiõe docẽdi, nihil intactum

præ-

prætermitteret, quod ad hos vitæ ſtatus pertineret. Ergo in prima parte capitis argumentum diſcutitur, ad coniugatos proprie pertinens, reliquæ duæ partes tanquam affines adiiciuntur, vt abſoluta omni ex parte doctrina tradatur, quemadmodum etiam poſtea ex ipſo contextu epiſtolæ apertius eſt oſtendere. Vna prima & præcipua quæſtio fuit de coniugatis, quæ duas reliquas tanquam appendices protraxit in medium, vt ridiculũ plane ſit, quod affingis Bucere, vidiſſe Paulum illud domini verbum, Quoſdam ſe caſtrare propter regnum Dei, nondum apud Corinthios habere locum ſatis dignum, quod tamen eouſqꝫ ſupra modum apud eos valuiſſe conſtat, vt in eo vno temperãdo elaboret Apoſtolus, atqꝫ ab eo tanquam vtrinqꝫ in confeſſo ordiatur. Bonum eſt, inquit, homini mulierem non tangere. Bucerus autem illud tacite lectori æſtimandũ relinquit, num forte Paulus, quem hic acrem & vehementẽ vult videri, exceſſu ſermonis (vt fit in feruore orationis) vſus ſit, & quædam fortaſſe in laudibus cœlibatus etiam rhetorice ampliarit, quod acrimonia & vehementia nonnunquam efficiunt. Id enim expedire putauit, vt Apoſtoli etiam autoritatem, cum cauſam ſuã lædat, additis epithetis eleuaret. Adeo nihil veretur iſtorum hominum impudẽs

 arro-

arrogantia de omnibus censuram agere, vt nec a sacris temperent,aut cuiusquam,qui illis aduersetur,nomen & autoritatem habeāt sacrosanctam. Acer nimirum illis & vehemens est Paulus, cum illorum causam veritate grauat. Ergo fateris Bucere, Paulum laudare cœlibatum, sed ne quis, inquis,ex ijs,quæ de cœlibatu prædicat,occasionem sumeret aliquid audendi supra vocationem naturæ viciatæ, incitatus confidentia & præpostera religionis affectatione,laudes cœlibatus singulari cautione moderatus est. Ista præfatus ita, prosequeris ad hunc modum.

Natura viciata incitat cœlibatum, vt Bucero placet.

Bucerus.

Cum enim dixisset initio, Bonum est homini non tāgere mulierem,statim subiecit, Propter fornicationē autē vnusquisque suam habeat vxorē, & vnaquæque virum suum. Hic appello cōscientias eorum, qui Christum dominum vere expetunt seruatorem & metuunt iudicem, non etiam eorum,qui nihil pensi habent;neque solliciti sunt,modo præsentem statum tueri possint,videlicet has, quibus nunc fruuntur,opes,hanc, qua sibi tantopere placent,pompam,istas, in quibus helluantur, delicias: eos, inquam, appello, qui Euangelio & scriptis apostolicis veram fidem habent, hos rogo & oro perpendant, quare spiritus sanctus ilico, postquam dixisset,Bonum est mulierem non tange-

Commune est hoc ex schola rhetorum, aduersarios in inuidiā trahere.

tangere, adiecerit, Propter fornicationem autem quisque suam habeat vxorem, vnaquæque habeat suum maritum. Quare dixit, vnusquisque, vnaquæque, & habeat? Cur non potius dixit (vt tu Latome dicis) & tui similes cœlibatus defensores, quibus admodum esset optandum, vt vos in castitate coniugali continui essetis, Qui non tollit crucem suam & sequitur me, non potest meus esse discipulus. Regnum cœlorum vim patitur, &c. Si secundum carnem vixeritis, moriemini? Sed spiritus sanctus, qui hominem finxit, & dona sua dispartit pro suo, non nostro arbitratu, nouit se quibusdam dare, vt in coniugio non modo caste, sed etiam ad salutem ecclesiæ suæ viuant, extra coniugium minime. Hos itaque iubet simpliciter complecti connubium, nec vota, nec conditionem sacerdotij excipit. Vnusquisque enim & vnaquæque omnem exceptionem submouent, neque licet humana vota, vel præcepta diuinis edictis anteferre. Etenim spiritus sanctus, qui sibi contradicere non potest, de ijs omnibus, qui ad cœlibatum diuinitus vocati non sunt, quorum infinito maior est multitudo, quam eorum, quos cœlibatui Deus designauit, ante per Mosen pronunciauerat, Non esse bonum viro soli esse. Quod & de muliere ipso facto testa=

Bucerus cũ suis docet regnũ cœlorum vim facere, quasi nobis vel inuitis vel ignorãtibus fiant omnia.

Durũ præceptũ, q̃d nemo intelligit in se cõpetere.

testatus est, conditam enim viro mox coniunxit. Ergo quod dixit, Bonum esse mulierem non tangere, dixit de vniuersa hominum conditione, qua ad vitam conditi sumus cœlestem, vitã, inquam, liberam & solutam, non tantum curis matrimonij, sed omnibus præsentis seculi negocijs: non vero de conditione singulorum in hac vita, qua regno Christi quisque seruire debet, alius in coniugio, alius in cœlibatu. Ita igitur bonum dixit hoc loco spiritus sanctus mulierem non attingere, sicut dixit solui vinculis huius vitæ, & cum Christo versari multo melius esse quam hic viuere. Cũ enim homo ad cœlestem vitam factus primũ sit, dein de renatus, certo bonũ illi esse, recte dicitur vitam hanc quam primum cœlesti commutare: sed tamen nemo sanctorum ideo sibi manus ipse volet adferre, vt ad Christũ statim euolet. In statione enim nostra nobis perstãdum est, donec euocet imperator. Ita quãquam simpliciter cœlibem & cœlestem vitã agere omnibus præstaret, videndum tamen est, ad quam vitæ conditionem, dum in hoc seculo agimus, quemque vocarit creator noster & dominus totius vitæ nostræ. Et si per imprudẽtiam quis alium vitæ statũ sit ingressus, quam qui vocationi suæ cõueniat, tamen ad eum cuique, quem dominus proposuit, mox vt errorẽ agnouit,

Nunq̃ audiui quicq̃ citari stultius in hãc sentẽtiam.

Bonum est autore Bucero significat bonũ erit.

Spargit cautor etiam in suã causã cautionis semina, videli-

uit,recurrendum est. Ad vitam cœlestem, in qua nullus est vsus nuptiarum, vt nec cibi aut potus, ingemiscere semper & expedire nos, quo ad licet, debemus. & quo propius ad huius vitę rationem accesserimus, eo viuemus beatiores. Hæc autē ad vitam cœlestem accessio & propinquitas non in sola consistit abstinentia vxoris, nec ea abstinentia cuiq; a domino deputata est. Itaq; non quemlibet ad vsum vitæ cœlestis promouet, vt antea dictum & probatum est. Vt ergo spiritus sanctus in Paulo consentanea priori suę de humano genere sententiæ doceret, inconsultæq; confidentiæ & superstitioni hominum occurreret, cum dixisset, Bonum est mulierē non attingere, hoc graue præceptum adiunxit, Propter fornicationem autem vitandam vnusquisq; vxorem suam habeat, vnaquæq; suum maritum, quo certe præcepto tenentur, quicunq; vruntur, ac ideo in discrimine versantur fornicationis, quicunq; scilicet sentiunt se vocatos a domino ad coniugium, non ad vitam cœlibem. Hæc ergo prima laudati cœlibatus adiecta ab Apostolo cautio est.

eet Bucerus cœlibē vitam errore ingressus est.

Matrimonium præcipitur autore Bucero.

Queris Bucere, quare spiritus sanctus, postquā dixisset, Bonum est mulierem non tangere, adiecerit, Propter fornicationem autem quisque suam habeat vxorem, vnaquæq; suū habeat maritum,

Vvinton.

 poti=

potius quam qui non tollit crucem,&c. Respondeo,quoniã hęc vt suo sensu vera sunt,ita a causa, quæ agebatur, aliena. Porro ita dispẽsat veritates diuina sapientia,non vt oleum camino addat, & aliquid præter scopum intempestiue ingerat, sed vt modum egressos ad certos veri fines reuocet. Bonum videlicet est mulierem non tangere, cui inoffensa fide liberum sit abstinere. At qui fidem vxori iã dedit, nec sui amplius corporis potestatem habet,malũ est huic nõ tangere,videlicet propter fornicationem, quam etiam de se securus, in sexu tamen infirmiori timeat maritus pius, & suam igitur habeat propter fornicationem,quę concessio ad vnumquemque,cui vxor sit, in vniuersum porrigitur.Atque ideo vnusquisque sine exceptione dixit Apostolus,ne quis maritus sua potius causa dictum interpretetur,q̃ vxoris,&similiter in vxore vniuersali vsus est,ne quæ vxor religionis prætextu se viro subtrahat.Et est adeo sua emphasis verbo habeat, vt orthodoxis placet, significat enim vtatur & tangat, secundum quam interpretationem,superiori sententiæ, bonum est mulierem non tangere, plene aduersatur. Ne autem quisquam interpretetur grauius quiddam admonuisse Apostolum,dum maritos hortatur, vt vsum corporis exhibeant vxoribus , statim
sub-

ſubijcit, Vxori vir debitum reddat, ſimiliter & vxor viro. Vt autem oſtendat debitum eſſe, etiam illud addit, Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Itaque ſubiungit, Nolite fraudare inuicem, tanquam diceret: Abſit a Chriſtiana pietate omnis fraus, quæ tum etiam committitur, cum mutuis & reciprocis matrimonij fœderibus inuicem communicata corpora ſine vtriuſq; conſenſu diſtrahuntur. Habes Bucere, cur dixit vnuſquiſque, vt vna ratione omnes maritos includat, & item vnaquæque, vt omnes vxores complectatur. Deinde habeat, vſus eſt ſpiritus ſanctus verbo ſignificante & verecundo, cuius tamen ſenſus ne obſcurior relinqueretur, ac cauſa adhortationis redderetur apertior, idem alijs verbis appellat debitum reddere. De debito autem, quale ſit, ne quis ambigat, ad corporis poteſtatem ſtatim refert, cuius copiam inuicem non facere, fraudem demum appellat verbo grauiori. Et ne fraudetis vos inuicem, inquit, niſi ex conſenſu ad tempus, vt vacetis, &c. Atq; hic de maritis doctrinam abſoluit, & ſequitur, Dico autem non nuptis, &c. Nunc videamus, quem tu ſenſum contra orthodoxam huius loci interpretationem affingis. Bonum eſt mulie-

rem non tangere, dictũ vis de vniuersa hominũ conditione, & distinguis conditionẽ vniuersorũ a conditione singulorum, & illud a Deo antea dictum, Non est bonum homini esse soli, refers ad conditionem singulorum, hoc vero a Paulo dictum, ad conditionem vniuersorum. In conditione autẽ vniuersorum respicis vitam cœlestem, in singulorum conditione pręsentem. Egregia sane distinctio noua illa & peracuta. Ita veterum orthodoxorum distinctionibus explosis, cogemur vestris cedere, quæ rei per se claræ fumos offundunt, tantum vt lectorem fallant. Quid enim habuit obscuri, Bonum est mulierem nõ tangere? At tu id spectas, vt ad cautionem tuam aditum habeas commodum. Itaque occupas lectorem non necessarijs distinctionibus, quo interim prorepas, quo velis. Quin etiam male distinguis harum duarum propositionum sententias, Non est bonum homini esse soli, & bonum est homini mulierem non tangere, quæ vtræque non diuersam, vt tu vis, singulorum & vniuersorum, sed eandem potius sua quæque relatione rationem habent, & in quibus boni eadem est notio. Sic enim efferuntur ambæ, vt non absolute, sed sua tantũ relatione constent, cũ in singulos, tũ etiam vniuersos. Neq; enim verum est, vel in singulis,


gulis, vel in vniuersis, non esse bonum homini esse soli, sublata videlicet, quæ competit, relatione. Imo Paulus optat solitudinem vniuersis, quod non faceret opinor, si nullo pacto esset bonum. Christi autem præcursor laudatur a solitudine, & beati prædicantur, qui se castrarunt propter regnum Dei. His singulis bonum sit esse solis, & vniuersis solitudo haud potuerit obesse. Mulierẽ autem non tangere, cœlibi bonum, marito autem non bonum, qui debitum debeat. Bonum porro in vtraq; propositione id significat, nõ quod malo opponitur, sed quod ab effectu aliquousq; cõmodum, conueniens, congruum, & conducibile iudicatur. Non est bonum, inquit Deus, homini esse soli, videlicet bonum Adamo mari adiungi fœminã, quippe quod eam humano generi propagationem diuina sapientia commodam putauit, quæ sexus vtriusque coniunctione constaret. Ideoq; dictum est, Non est bonum homini esse soli. Ad cœlestia vero properantibus, & singulis item & vniuersis dictum est, Bonum est homini mulierem non tangere. Hac enim itur expeditius in cœlum, si Paulo credimus, & tamen ad multas mansiones in domo patris non vna itur via, sed pluribus. μία μὲν ὁδὸς διὰ τὴν ἀρετήν· μία γοῦν κἂν εἰς πολλὰ σχισθῇ, vt habet Gregorius Nazianzænus. Vna

quidem eſt via, ſi virtutem ſpectes, quę in multas diuiſa partes vnitatem retinet. Quoniam autem variæ viuendi rationes, varia vitæ inſtituta ſunt, ea vias appellamus, idem inquit, quibus non iiſ-dem, ingrediendum eſt omnibus tamen. Sed v-nuſquiſque ſuum donum habet ex Deo, alius ſic, alius vero ſic. Eſt enim regina eccleſia circundata varietate, hoc eſt, varijs Dei donis decenter orna-ta: ad quæ nimirum capeſſenda varijs ſcripturæ vocibus ita inuitamur, vt ordine quodam ad ea nanciſcenda citra cuiuſquam aut contumeliam aut iniuriam contendamus. Gratus quidem eſt Deo cœlibatus, ſed citra vxoris iniuriam. Er-go vxori vir debitum reddat, &, Alligatus es v-xori, noli quærere ſolutionem. Sin ſolutus ſis ab vxore, noli quærere vxorem, quoniam bonum eſt homini mulierem non tangere, quod & ſin-gulis eſt bonum, non minus quam (vt tu vis) v-niuerſis, ſed ſua relatione. Quibus verbis non prę-cipitur cœlibatus, tamen ne quid habeat neceſſi-tatis adiunctum, quod liberæ electionis gratiam imminueret. Nemo inuitus fit cœlebs, nemo ex ſcriptura cogitur ad matrimonium. At vero vos Paulũ de matrimonio legislatorem fingitis, omnibus ſcilicet, qui dono cœlibatus donati non ſunt, grauiter præcipientem, vt ducant vxores

propter

propter fornicationem. Cui præcepto, sancte scilicet & pie, vt obtemperetis vos, cum vota tum etiam ministerij excellentiam prorsus neglexistis. Coacti vero tam graui præcepto Apostoli, ad matrimonij instar communicastis corpora, cum vnusquisque tum vnaquæque, magna videlicet formidine fornicatiõis. Ita ne omnes putatis Demiphones, quibus Phormiana confidentia sic illudatis? Et quod ad voluptatem expetistis atque expetitis, id legibus coactos, spiritu adactos causabimini? Hic tu in mores declamitabis hominum, qui quidem sunt inquinatissimi, & quod negari non potest, impurissima hodie libidinum genera passim grassantur, quibus dum vos corruptiorem doctrinam additis, quid aliud quam vt infelices medici extinguitis omnia? An quia in medendis corporibus venenũ aliquibus profuit, id etiam in animi morbis sanãdis experimini? Væ illis iã olim dictum est, qui faciunt malum, vt inde veniat bonum, nec est vlla ex causa a veritate recedendum. Vestra hac in parte doctrina Bucere, noua est, falsa est, & huic loco Pauli ridicule innititur contra veterum sententias, contra ipsorum verborum contextũ, contra omnem rei naturam, vt matrimoniũ aliqua lege præcipiatur. Itaq; nõ satis demiror, q vestris coryphæis in

mentem



mentem venerit, vt omnes ad matrimonium naturali pręcepto obstrictos esse scriberent, & inter cætera argumenta hoc tanquam inexpugnabile telum proferrent, matrimonium esse iuris naturalis. Est quidem natura autor matrimonio, suam hoc pacto conseruationem agens. Itaque suis etiam illecebris ad matrimonium inuitat & allicit plurimos. Vnde legibus quoq; Romanorũ traditum est, matrimonium esse iuris naturalis. Sed non quicquid lege aliqua autore inductum est, id continuo ab eadem præceptum intelligatur, neque quia secundum naturam est iungi matrimonio, sit etiam contra naturam non iungi, non magis quam iure naturę autore, vim vi arcemus, nec violamus tamen naturam, si ex consilio Euangelij ad frangendum irati impetum alteram maxillam cædenti obuertamus. Quod si (vt vobis placet) legi naturæ matrimonium quisq; debeat, simul etiam illud fatendum erit (quum in exoluendo ære alieno minus præstat, qui post tẽpus dat) in naturam statim peccare eum vestra sententia, qui aliquam pubertatis partem inutiliter prætermiserit, aut suæ naturæ indulgens, integre & bona fide non dederit operam liberis, quam (vt vos vultis) ex naturæ præscripto quisque pendere teneatur. Ista apud vos ex insanis amoribus nata

Bucere,

Bucere, insanis item argumentis fulciūtur, & quę infinitas pariunt absurditates. Illud plane risu potius quam confutatione dignum, quod aias bonum dixisse spiritum sanctum mulierem non attingere, sicut solui vinculis huius seculi & esse cū Christo, quasi idem sit summum bonum cū medio, via cum termino, nec differat cursus a brauio, a corona certamen, opus a mercede, a labore requies. Esse enim cnm Christo, absolutum & summum est bonum, quo tendimus, nec aliter sit bonum mulierem nō tangere, nisi hunc scopum petamus, vt simus cum Christo. Huc enim spectat omnis cursus, omne certamen, omne opus, omnis labor Christiani hominis. Quod ipsum tamen non est volentis neq; currentis, sed miserētis Dei. Et gratia Dei est vita æterna, ad quam vtiq; consequendam etiam si ab ijs opera exigantur, quibus est operandi facultas, & in iusto Dei iudicio sit operum retributio, ac certaminis corona, ita tamen exuperat misericordiæ munificentia, vt iusta obscuratione meritorum soli misericordię imputentur omnia. At vero in via ad Christum, quam sine Christo non ingredimur, nostra est voluntas, noster est cursus, noster labor, nostrum certamen, quod etiam vltro appetunt, quęrunt, cupiunt boni, tantum abest, vt detrectent & fugiant

manus ſibi ipſis inferentes, quod ſtulte infers neminem ſanctorum feciſſe, quaſi non δὶς διὰ πασῶν a ſanctitate diſſideat, tam turpiter locum deſerere militiæ, a Deo cuiquam in hac vita deſtinatum. Aut quaſi ſimile quiddam habeat mortem conſciſcere, a quo deterret impietas, & nõ tangere mulierem, quod tantis præconijs commẽdatur. Aut denique circumcellionum furorem quiſquam ſanus approbarit, vt vobis autoribus ſtulta cupiditate diſſolutis corporis vinculis ad Deum conuolemus, q̃d nec Scipio ethnicus ſomniauit. Quod ſi tuam collationem reciperemus, ſequeretur plane vt quo ſtudio, qua cura, vitam a morbis & ab interitu tueamur, pari diligentia corpora noſtra mulierum commercio idonea reddamus, quaſi a Deo in eam militiam deſtinati ſcilicet, quam iniuſſu imperatoris non liceat deſerere, non magis quam manus violẽtas corpori noſtro inferre. Sic nimirum doces eccleſiã poſterior propheta, qui vt Lutherum olim, cum a te in Euchariſtia diſſentiret, ſic omnes hodie orthodoxos iubes tacere, & phanatico ſpiritui tuo auſcultare. Sed diutius immoror ſingulis tuis ineptijs excutiẽdis, audiamus quem ſenſum diuo Paulo affingis. Quum dixiſſet (inquis) Paulus, Bonũ eſt homini mulierem non tangere, adiecit cautionem etiam lege grauiter

ter promulgata (si vestram interpretationem reci pimus) sancitam, hanc videlicet, vt vnusquisque ducat vxorem propter fornicationem. Nam hūc vis esse sensum verbi, habeat, vt significet ducat, neq; tertiæ personæ, cum sit permittentis, esse vis, sed imperantis. Teipsum paulisper audi Bucere, & vide q̄ non conueniant, quę dicis. Propter vni uersam hominum conditionem inquis, Bonū est mulierē non tangere, & tamen vnusquisq;, id est, in vniuersum singuli ducant vxores propter for nicationem, quod perinde valet, ac si dicas, cœliba tū agere bonū est omnibus, sed nemo cœlibatum agat. Ita enim exigis, vt vnusquisq;, id est, omnes sine exceptione ducant vxores. Verū inquies, sed propter fornicationem, vt hic sit sensus, om̄es qui non sunt vocati, qui Dei dono destituti a fornica tione sibi merito timeant, omnes huiusmodi, & horum vnusquisq; ducat vxorem. Bene est Bu- cere, q; signū vniuersale etiam te autore vltra præ dicati sui modū non porrigitur. Quemadmodū etiam diuus Augustinus alicubi notat, Deus vult omnes homines saluos fieri, hanc habere senten- tiam, quotquot saluabuntur, Dei voluntate sal- uos futuros. Quæ cum ita sint, ridicule vrges si- gni vniuersalis vim, quasi nihil exciperet spiritus sanctus, cum (vt tu vis) eos saltem a signo exci-

piat vniuersali,qui a Deo vocati dono cœlibatus a fornicatione sint tuti,quibus saltem non præcipit,vt matrimonium ineant contra vocationem. Adeo secundum te moderatur signa vniuersalia, vnusquisq; & vnaquęq;,quod prædicato adiungitur, nempe propter fornicationem. Sed verba ipsa textus consideremus. Vnusquisq; habeat vxorem suam propter fornicationem.Hic te rogo Bucere,nulla ne est vis pronominis suam? te appello,verborum,quoties pro te faciunt, seuerum exactorem & cõtortorem, num etiam signo vniuersali modum & pronomẽ faciat,vt horum verborum,vnusquisq;,&c.hic sit sensus,Omnes quibus sua est vxor,habeant vxorẽ,id est, vti possint vxore propter fornicationem. Certe hũc sensum & vetustas amplexa est,& ad . estra vsq; tempora ecclesia catholica constanter docuit. Quem si contemnimus & tuam recipimus cautionem,sensus erit ex verbis,Vnusquisq;,id est,omnes & singuli(neminẽ enim excipit Buceri spiritus) habeant vxorẽ,id est,ducant vxorẽ,atq; adeo non quã uis,sed suã ducant.Hoc verbũ(suam)aliam hic significationẽ ascíscat oportet Bucere. Nam ducere suam,vt ad initiũ matrimonij referas,nemo potest, quæ ipsa demum inductione sit sua futura, cum nulla ante ratione fuerit sua,nisi stultam vulgi in

gi in fatis rationem ſequamur, vt omnes matrimonia iam olim in ideis ſortitos, ridicule arbitremur. Quæ ſtulta vt ſunt, niſi tuę nimium ſtolidæ interpretationi adiunxeris, ocioſum pronomini locum relinquas, aut abſurdũ potius, vt omnem ſententiam reddat inexplicabilem. Quod ſi quis a te cauſam petat huius præcepti, inquies eam diſerte poſuiſſe Apoſtolum, nempe propter fornicationem. Olim videlicet, cum adhuc in nube verſarentur patres, matrimonium præcepit Deus, vt creſcerent homines, multiplicarentur & replerent terram. Nunc autem illuceſcente ſole veritatis in medio diei lumine, ducuntur (autore Bucero) vxores, vt fornicatio vitetur, in quam poſt effuſam plenitudinẽ gratiæ, homines ſcilicet nunc, quam olim, tanto fragiliores, facillime prolabuntur. De quo etiam Apoſtolus Corinthios voluit admonere liberorum apud nos, in quos fines ſeculorum deuenerunt, in ducẽdis vxoribus haud eſſe præcipuam rationẽ, ſed fornicationis. Quod ſi probamus, vt vnuſquiſq; ducat vxorẽ propter fornicationem, & cauſa legis finalis ſit vitatio fornicationis, vxoris verbum ſpecie, non numero æſtimandum ſit, vt ſemper alia atque alia mulier quæratur, quæ vxoris vſum præbeat ad vitandam fornicationem. Quamobrem etiam ſi fuge-

 rit

rit ducta, si ægrotauerit, si morosior effecta copiā sui non fecerit, quærenda omnino est, quæ suffici at vitandæ fornicationi, quoniam id potissimum in lege ferenda, Bucero autore, spectauit Apostolus, magnam cautionem adhibens, ne cum aliquo corporis incōmodo, aut molestia vitam præsentem transigamus. Cuius rationē in singulis cum haberet spiritus, illud iam olim elocutus est, nō esse bonum homini esse soli. Cœlibatum vero non ad singulos, sed ad vniuersorum conditionem ex Buceri distinctione pertinere. Quoniam autem paucissimis dātur cœlibatus dona (vt Bucero placet) latius se porrigat oportet hoc matrimonij præceptum, nempe vt in primis pubertatis annis sibi de vxore quisq; prouideat, vt si quando vsus venerit, & dono cœlibatus se senserit destitutum, habeat quisq; quo conuolet, ne stimulante natura, non sine magna molestia interim ardeat, dum extinguendæ libidini vxorem quærat. Præcepit enim Buceri spiritus, vt vnusquisq; ducat vxorem propter fornicationem. Age vero, si de defendenda patria deliberetur, & speculatoribus referentibus adesse hostes, similiter vt nunc Bucerus, ita princeps edicat, vt ad hostem propulsandum arma sibi quisque paret, & in statione sit, an edicto satisfecisse videbitur, qui in eum casum, quo ho-

stis

ſtis forſitan arceatur, ſpe temere collocata, arma ſua producere differat, donec hoſtem in conſpectu & cominus pugnantem ſenſerit? Imo vero et patriam prodidiſſe, & cum hoſte conſenſiſſe iudicaretur. Ergo vt legi Buceri ſatisfeciſſe videamur, quoniam a natura ſtimulos innatos habeamus, qui ad fornicationẽ impellant, prouidentia enim tempeſtiue adhibenda eſt, vt adſit cuiq; in primis pubertatis annis vxor ad vitandam fornicationem, non enim hic procraſtinãdum aut in diem differẽdum, quum haudquaquam ſatis cauit, qui poſt tempus cauit, & perinde fuerit Buceri cautiones improbare, & nõ ſuo tempore præcauere. Ex violentis tuis interpretationibus ridicule a te excogitatis, quæ dixi, ſequuntur, & in tuis aſſertionibus implicite continentur, ab illiſque diductis & explicatis deriuantur. De ſecunda autem cautione ſcribis, quod ſequitur.

Alterum ſubiunxit, cum poſuiſſet, Volo omnes eſſe, vt & ipſe ſum, ſed vnuſquiſque habet donum proprium, iſte quidem ſic, alius vero ſic. Cur hic Latome vel ſacerdotes, vel eas, quæ tum etiã ſe cœlibatui addicere ſolebant, viduas nõ hortatus eſt Apoſtolus, vt ſe in cœlibatu ſequerẽtur? dominum non defuturum orantibus huius rei donum? cur carnem mortificandam, vim naturę Bucerus.

faci-

faciendam, crucem perferendam esse, non inculcauit? Erãt certe hæc omnia multo apertiora Paulo, quam vel tibi Latome, vel mihi, ipso etiam vsu & in mente eius nunquam non versabantur. At spiritus domini nihil tale, sed hoc dixit, Vnusquisque habet donum propriũ ex Deo, iste quidem sic, alius autem sic. Sed aduersatiua particula est, infringit votum, respiciens ad vniuersam conditionem hominis, ad id conditi, vt aliquando sit et viuat, sicut angeli Dei. Vide ergo hoc in loco Latome, primum etiam in matrimonio viuere, χάρισμα, esse ex Deo. Deinde ex eo, quod vnusquisque habet donum proprium ex Deo, alius quidẽ sic, alius vero sic, recte concludi, quosdam donum ex Deo, vt extra matrimonium sancte viuant, nõ habere. His iã tu quid facis homo? Tu ne his dabis donum hoc, quod Deus non dedit? Istud si non potes, quare vis eos, qui dono hoc destituti sunt, aliter manere quam Paulus, imo spiritus sanctus voluit? Voto enim illi, Volo omnes esse vt meipsum, statim subiunxit, quo id votũ suum moderatus est, Sed quisque donum proprium habet, iste quidem sic, ille sic, clarissime significans, nõ optare se, vt sint sicut ipse, nisi qui donum habeant quod ipse. Hæc de secunda cautione.

Vt in verbis hæret, cum speciẽ aliquã habeant argumenti.

Non habẽt videlicet, quia non elegerunt.

Vvinton.

Optat Paulus omnes sui similes, Sed habet, inquit,

quit, vnusquisq; donũ suum ex Deo, alius sic, alius vero sic. In minima particula (sed) magnũ ponis argumentũ, & grauem in his verbis cautionẽ notas, atq; etiam omnes admonitos ab Apostolo dicis, vt donũ Dei amplectantur & præstent, & ne omnes sint vt Paulus, quibus Paulinũ cœlibatus non contigerit donũ. Hæc tua verba ad suggillationem valent, ipsam autem doctrinam non attingunt. Nempe enim in quocunq; vitæ genere honeste perseueramus, Dei dono omnino id assignã dum est, de cuius munere venit, vt ei digne & laudabiliter a fidelibus seruiatur. At vero in huius doni collatione haud debemus humano more sapere, quasi apud Deum sit acceptio personarũ. Sed quemadmodum in omni gẽte, qui timet Deum, hic illi acceptus est, sic omni habenti dabitur, & donum a Deo is demum assequetur, qui donum sibi & ecclesiæ Dei vtile a Deo sine hæsitatione postularit. Tu somnias dona, quæ dormientes certe impleant, cuiusmodi a Deo nulla ociosis dantur. Vocat, inuitat, allicit, minis, blanditijs, hortamentis ad se trahit & donat demum petentibus & sancte ambitiosis. In ecclesia Dei, cui propagandæ & ædificandæ dona varia, alia alijs necessaria sunt, sic omnia disponit suauiter benedictus Deus, vt non omnibus eadem, sed alijs alia dona nobis eli-

gentibus conferat, quæ Paulus optando noluit videri confundere, sed vt differentiam donorũ probare se doceret, & neminem in laudabili vitæ genere improbare, quod in omnibus optauit, correxit dicens, Sed vnusquisq; habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic, nulla cautione, vt tu somnias, qua cœlibatum vitemus, sed vt distinctam varietatibus ecclesiam agnoscamus, in qua suæ quisque vocationi inseruiens, diuersum vitæ genus, quod Dei etiam donum est, ne insectetur, sed Dei in eo donum veneratus, suo etiam honore prosequatur. Inde enim contentio ecclesiæ maxime inimica solet oriri, dum suam quisq; sortem præferens, aliorum contemnere & vilipendere conetur, vt commoda admodum, & ad disciplinam ecclesiæ vtilis sit hæc Pauli correctio, nimirum cum optasset omnes sui similes fore, aduersatiua deinde particula (sed) statim id temperaret, dicens, Sed vnusquisq; habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic. Videlicet vt matrimonij conditionem ipsa specie cœlibatui oppositam, & Dei donum esse, & Deo non displicere, Corinthiorum ecclesia, & eorum occasione vniuersa doceretur. Ita ergo moderatus est votum, non (vt tu vis) quo eleuet cœlibatum, sed ne quem deterreat ab officio matrimonij, in quo etiam Dei donum celebrat &

pro-

profitetur. At quæris, cur non hortatus eſt viduas Paulus, vt ſe ſequerentur in cœlibatu? Ego viciſſim a te quæro, qui potuit ad id hortari vehementius, quam optando? quod ne illæ tamen pro imperio interpretarẽtur, remiſit nonnihil, & relaxauit adhortationem hoc temperamento, Sed vnuſquiſque habet donum ex Deo, alius ſic, alius vero ſic. Et item illud quæro ex te Bucere, qua tandem confidentia auſus es de ſacerdotibus facere mentionem? quum de illis, quoties permittit matrimonium, nihil loquatur Apoſtolus, ſed nec de illis quicquam eiuſmodi ſentiat, ſi veteribus credimus, & Græcis ſcholijs, quæ habent hanc ſententiam de matrimonio virginum, καὶ ἐὰν γήμῃ ἡ παρθένος, οὐχ ἥμαρτε. παρθένον ἐνταῦθά φησιν, οὐ τὴν ἀφιερωμένην θεῷ, ἀλλὰ τὴν ἄγαμον κόρην· ὡς ἥ γε ἀφιερωθεῖσα θεῷ εἰ γήμῃ, μοιχὸν ἐπιφέρει τῷ χριστῷ ᾧ νενύμφευται. Quæ verba Latine ſic efferuntur, Si nupſerit virgo, nõ peccauit. Virginẽ hic intelligit, non illã conſecratam Deo, ſed innuptam puellam. Illa etenim, quæ Deo iam conſecrata ſit, ſi nupſerit, adulterũ introducit Chriſto, cui nupta eſt. An hic aliquid requiris Bucere, quod veſtram de inceſtis ſacerdotum nũptijs doctrinã apertius cõuellat atq; euertat? Nũ vides conſecratos a non conſecratis diſtingui, quod tu negas? Non conſecratis autem permitti matrimo-

Hoc dilue Bucere.

nium, consecratis non item? Illud vrges, in matrimonio viuere, charisma esse, de quo tecum non contendam, hoc autē tractabo paucis. Si donum sit in matrimonio viuere, & itē in cœlibatu, quod secundum te nihil aliud sit, quam certa in alterutro definita vnicuique a Deo viuendi norma, cur ausus est Paulus de vidua pronunciare, a morte mariti beatiorem futuram, si sic permāserit? Nempe enim quo illud argumēto Paulus? si vera sunt, quæ tu nobis tradis de ratione doni. Si enim recte nuptias auspicata est mulier, verum est, eam matrimonij donum tum habuisse, atque etiamnum habere opinor secundum te, qui certam donorum collationem doces, quo casu prorsus inepta sit iam eadem cœlibatui, ad quem hortatur Paulus, quippe quæ donum matrimonij iam assecuta sit, donum omnino diuersum a cœlibatu, vt non possit iudicio tuo extra matrimonium viuere. Quin ergo iuberet Paulus, vt matrimonium omnino repeteret vidua, & iuxta datum a Deo donum in matrimonio viuere perseueret, ne arroganter contra doni rationem saperet, & a domini præsidio se subduceret? Certe aut Paulo nondum datum erat, donorum istorum rationem tenere, quod est absurdum, aut tibi id sumis, quod datum non est, vt nouam donorum

notionem affingas,quo vestris dotatis & indotatis patrocineris. Meminit quidem hoc capite Paulus vocationis,meminit doni, sed ita meminit, vt nostram optionem,nostram electionem Dei, aut vocatio,aut donum, suo iudicio adeo non impediat,vt confirmet etiam atque promoueat. Itaque tanquam de Dei benignitate certos alloquitur & adhortatur,id quod frustra & incassum faceret,si vitæ nostræ conditio ab incerta donorum collatione penderet,quæ ipsos etiam lateret donatarios. Sic enim ponis errare posse nos in donis,& errore lapsos diuersum vitæ genus ingredi. Error autem ignorantiam detegit. Ignorātis porro quo dono donetur,vel cœlibatus vel matrimonij quę potest esse culpa,vt temeritatem imputes vel arrogantiam? contra quam opponas cautionem spiritus? Postremo cum ex tua doctrina de donis ambigitur,cur non a matrimonio similiter atq; a cœlibatu caues? Est enim vtrobiq; ex æquo periculum,sed ariolor quid dicas. Nō est bonum homini esse soli. Sequitur tertia cautio. Vide primā Buceri cautiōem.

Iam considera & tertiam moderationem seu cautionem Apostoli,quam huic suo dicto liberis adhuc coniugio & viduis dico. Bonum eis est, si sic maneant,subiecit, Si vero (inquit) non continent, nuptias contrahant. Melius enim est iungi Bucerus,

matrimonio quam vri.Hic iterũ vides quosdam esse,qui se non continent, quos tamen autor castitatis spiritus sanctus non hortatur ad vim faciendam naturæ, non ad quærendum precibus donum continentiæ extra cõnubium,sed sine omni exceptione,vel voti,vel muneris iubet cõiugium suscipere. Iungantur,inquit,matrimonio. Vides item esse,qui vruntur, quos multo sit melius ad nuptias venire q̃ vri. Hic rursus nullum melius remedium vstionis obtulit spiritus sanctus, doctor veritatis,quo nemo potest vel certius vel plenius docere ea, quæ nobis & sancta sunt & salubria & necessaria. Hoc igitur, quod spiritus sanctus hic pronunciauit melius esse, nemo faciet deterius, nec vlla vestra, quamlibet antiqua & late vulgata constitutione, nec quantumuis religioso & solenni voto.

Vvinton. Hic te appello Bucere, vt nobis expedias, cur Paulus,qui vt tu vis,in capitis huius initio omnibus prę ceperat,vt contraherent matrimoniũ propter fornicationem,hic cunctantius & hęsitabunde de matrimonio,etiam a non nuptis & viduis ineundo,loquatur dicens: Si non continent, nubant,&,Melius est nubere quã vri.Ibi ad nuptias pleno ore inuitat,atq; adeo imperat secundum te. Hic ęgre & quibusdam conditionibus permittit matri-

matrimonium? Cur tam varie? si modo is sit prioris partis sensus, quem tu protulisti, quod nec orthodoxi admiserunt, nec sermonis contextui consequens est. Iam enim primum alloquitur inconiugatos, & redit deinde ad doctrinam coniugatorum, vt quibus in casibus fidelem ab infideli discedere liceat, aperte traderet. Qua in re, ne quam indissolubili matrimonij vinculo iniuriam inferre videretur, dum infidelem permittit discedere, diserte præfatus est vxorem a viro non discedere, &c. atq; hac occasione repetit tractatum coniugatorum. Sed ad cautiōem tuam caute accedamus. Bonum est (inquit Paulus) si sic permāserint, cœlibatus laus: sed si se non cōtinent, nubant, cautio tua est. Ergo Bucere, hominis est (vt Paulo placet) continere se, nā doni nulla est mentio. Ex hoc loco tuos doceres Bucere, vt rationem doni intelligant, quod a diuino quidem semine manat & inseritur, nostra autē opera, nostro labore, nostra vigilātia, nostra cultura fouetur ac crescit. Et quēadmodū ex verbis Euangelij colligit Chrysostomus, omnes esse doni cœlibatus capaces, si volūt, sic hoc in loco docemur, non continere se homines, quia nolunt. Et tu tamen Bucere omnem in hac parte conatum, omne molimē, omnes preces ijs aufers, qui se suo voto cœlibatui mancipa-
runt,

runt,nec præſtant,ſcilicet vt omnia imputes Deo,
quod ſit in dono cœlibatus tam parcus,in bonos
& malos alioqui tam profuſus. Vide, quantum
hic a veteribus diſſentiat hæc veſtra ſchola. Sic
enim ſcribunt veteres locum Pauli explicantes.
Διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν, ἵνα μάθῃς, ὅτι οὐχ ὁ διάβολος μόνος αἴ
τιος τῆς πορνείας, ἀλλὰ καὶ ἡ ὑμῶν ἀκρασία, ἐπάγει, διὰ τὴν ἀκρασίαν
ὑμῶν, δεικνὺς ἔνθεν μᾶλλον, ἢ ἐκ τοῦ διαβόλου γίνεσθαι πειρασμούς.
Id eſt,propter intemperãtiam veſtram, vt diſcas,
quod non diabolus ſolum cauſa ſit fornicationis,
ſed & veſtra etiam intemperantia, infert, propter
intemperantiam veſtram, oſtendens hinc magis
quam a diabolo fieri tentationes.Patres, quo nos
ad ſobrietatem inuitent,a diabolo in homines cau
ſas fornicationis tranſcribunt,vos ab hominibus
in Deum transfertis,qui donum non dedit, & v-
nicum in maxima hominum parte incontinen-
tię remedium nuptias facitis,vt ſit hac quidem in
re homo homini Deus iuxta prouerbium, nec
quicquam e ſupernis ſit expectandum. Ita enim
occinit Buceri ſpiritus,ne dono deſtituti oremus
Deum,nec fruſtra defatigemus precibus, qui iã-
dudum fœminis eas partes commiſit,vt ſolæ me
deantur incontinentiæ carnis.Id quod ſi vna prę
ſtare haud poterit,aut temere delecta,aut caſu de-
fecta, vnam adhuc cautionem video Buceri, vt
iungantur matrimonio propter fornicationem,

quia

quia melius ſit nubere quam vri. Quod autē ſpiritus ſanctus docuit eſſe melius, nemo faciet deterius. Diuus autem Hieronymus ſuſpectam eius rei bonitatem ſibi videri ait, quæ comparatione deterioris ſit melior, ſed opponit Hieronymo Bucerus ſpiritum ſanctum, quem tam frequentem in ore habet, quaſi ab illo afflatus videretur, at prominentes auriculæ Midam produnt. Abſurdis argumentis & fallacibus niteris Bucere, ex quibus ea, quæ tuis adijcio, deriuantur, & ante annum legi libellum ex Germania allatum, in quo pluralitas vxorum ſimilibus rationibus adſtruitur. Huius te autorem aliqui ſuſpicati ſunt. Quum vero iſta tradas, cauſam illam haud poteris improbare. Certe quidem in digami vocabulo detorquendo, quod inter prima ille argumenta ponit, cōſentitis ambo. Ita enim ſcribis, eum qui alteram vxorem duxerit priore mortua, a recentioribus vocari digamū contra omnem Græcæ linguæ vſum, & ſcripturam, & veteres canones. De linguæ vſu Bucere q̃ falſus ſis, ſpero me palam facturum, vt tuam arrogantiam omnes intelligant. Primum illud in confeſſo ſit (δὶς) aduerbium Græcum, & numeri & ordinis eſſe, ac ſeorſum & in compoſitione, ſemel & iterum ſuccedenter numerata, & quod (Latinum bis) exprimit, ſignificare,

vt δὶς κράμβη θάνατος, semel & iterum Crambe, mors. Ad quam formam dicimus Latine, bis Crambe, mors. δίγλωσσον autem & δίλογον Græci appellant, qui duas calleat linguas, vnam videlicet & item alteram. & δίστεγον, quod duplex habeat tectum. In qua compositione horum trium verborum fateor vno eodēque tempore vtranque numeri partem consistere, vt δίστεγος non dicatur, quod olim vnum, nunc aliud habeat tectum, sed in quo duo tecta eodē tempore numeres. Quod quoniam in aliquibus verbis obtinet, in quibus rerum significatarum natura patiatur, vt in his verbis, δίστεγος, δίγλωσσος, δίλογος. δίλογος enim proprie dicitur, qui duas linguas iam teneat, non qui duas didicit & alteram oblitus est, putauit Bucerus id in omnibus valere, nec animaduertit Græcam linguam ad rei subiectæ naturam se accommodare, ideoque mulierem, quæ alio atque alio tempore, hoc est, bis peperit, δίστοκον appellare, & terram iterum proscissam aratro, δίπολον. In quibus vocabulis, quæ aduerbio δὶς repetita significantur, non ijsdem, sed separatis temporibus numerantur. Neque enim δίστοκος dicitur, quæ vno partu geminos ædidit, sed quæ iterum peperit. Et item δίπολος, terra non duobus eodem momento aratris subacta, sed quæ secundam ara-

tri

tri proscissionem passa sit. Ad quam rationem vsus Græcæ linguæ permittit, vt digamus item vocetur, qui iterum maritus factus sit defunctus priori matrimonio. Præteritum enim præsenti connumeratum illam efficit geminationem, quæ sub aduerbij (δὶς) ratione continetur, non aliter ac Latini bis consulem dixerunt apud Romanos, non qui vno tempore vtrunq; Romæ consulatum ageret, cum vnus vicem duorum non sustineret, sed qui iterum consul factus esset, cum antea semel gessisset consulatum. Adeo vtraq; lingua maxime suffragatur, vt δίγαμος, quem Græci alia compositione δευτερόγαμον dicebant, bis maritus dicatur, hoc est, bis succedenter nuptias expertus, vel iterum aut secundo maritus effectus, non vt tu vis, eodem tempore duabus implicitus & male iugatus nuptijs, quarum alteras in Christianismo nefarias habere & nullas iudicare necesse est. Etenim qui vni mulieri legitimo matrimonio est iunctus, si aliam deinde appetat ipsa viuente, mœchatur, & turpi vocabulo rem infamem notat scriptura, non sanctum & venerandum matrimonij nomen prætendit, q̃d vos facitis, q eundẽ hominẽ pari iure apud vtrãq; mulierem collocatis, vt vnus & idẽ vtriusq; mulieris eodẽ tempore maritus putetur, quẽ noua ratione digamum

vocatis, nec saltem potiores partes prioris facitis, sed vno cognomine coniungitis, hoc est, hominem vestra appellatione digamum fingitis, videlicet duabus mulieribus eodem tempore debitorem, eiusdem corporis duas mulieres eandem habere potestatem, & vnius rei duos in solidum dominos esse, deniq; vtrisque eandem ex vi appellationis adiudicantes possessionem, quod est absurdissimum. Et ista nos doces (si Musis placet) ex vsu linguæ Græcæ, quam aut ipse non intelligis, aut nimium sibi permittit spiritus tuus, vt quiduis apud orbem temere effutiat. Ac pari confidentia negas maritum mortuæ vxoris dici posse, & affers rationem, eo quod mors vinculum matrimonij soluat, quasi vero non passim retineat scriptura appellationes, etiam rei, quæ significabatur, ratione sublata, vt homo mortuus, etiamnum homo vocetur in Euangelio, & serpens dicatur virga, habita in prȩteritum relatione, quum esset virga, & alia id genus infinita, quæ quoniam vestram in Eucharistia impanationem subuertunt, omnino dissimulatis, nec alicubi vultis agnoscere, imo vero vbi qd eiusmodi inciderit, data opera obruitis. Matrimoniũ, inquis, morte dissoluitur, & nuptiæ non sunt futuri seculi, dominus dixit. Equidẽ fateor, de re enim loquutus est,

& no-

& nostra tractatio de appellatione est, quam tu negas manere re sublata, quod est falsissimū. Quod tamē ne, vt tu sæpius facis, sine teste dixisse videar, proferam Epiphanij interpretationem, qui vnius vxoris virum eum intelligit, cuius vxor iam mortua est. Sic enim scribit contra Catharos impurissimos hæreticos. τὰ γὰρ εἰς ἱερωσύνην παραδοθέντα διὰ τὸ ἐξοχώτατον τῆς ἱερουργίας εἰς πάντας ἐνόμισαν ἴσως φέρεσθαι, ἀκηκοότες, ὅτι δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, ἐγκρατῆ· ὡσαύτως καὶ τὸν διάκονον, καὶ τὸν πρεσβύτερον, καὶ γὰρ τῷ μὲν ὄντως οὐ δέχεται τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ κήρυγμα μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ ἐνδημίαν τοὺς ἀπὸ πρώτου γάμου τελευτησάσης τῆς αὐτῶν γυναικὸς δευτέρῳ γάμῳ συναφθέντας διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς τιμῆς τῆς ἱερωσύνης. καὶ ταῦτα ἀσφαλῶς ἡ ἁγία τοῦ θεοῦ ἐκκλησία μετὰ ἀκριβείας παραφυλάττει. Sensus autem horum verborum Latine sic redditur. Quæ enim in sacerdotiū competentia, propter sacri ministerij excellentiam tradebantur, ad omnes forsitan pertinere arbitrabantur, cum audissent, quod oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, temperantem, similiter autem & diaconum & presbyterum. Etenim reuera nō recipiebat sancta Dei vocatio post Christi aduentum eos, qui a primis nuptijs ipsorum vxore defuncta, secundis se coniugijs copularant, videlicet propter excellentiam honoris & sacerdotij. Atq; hæc sancta Dei ecclesia summa cum diligentia inconcusse obseruat.

Epiphanius.

Vnius vxoris vir dicitur vxore defuncta.

I nunc Bucere, & patres veteres Græcos iacta

Vvinton.

tui commenti assertores, cum audias Epiphanium, veteris ecclesiæ alumnum, hominem Græcum, eum vnius vxoris virum intelligere, cuius vxor iam vita excesserit, nec sit superstes.

Nimium fidis Bucere tuis pragmaticis, qui de Græcis, de patribus iubēt esse securum. Illi tui stertunt, tu somnias, & quod vere esse lubet, pro vero & indubitato impudentur affirmas. Aliorum fide te venditas omnisciū, linguas, patres, concilia intonas tanta cum confidentia, vt ni vis veri adesset causæ, tenebricoso verborum fumo ipsam veritatem extingueres. Quin audi etiã scholia Græca illum Pauli locum explicantia. Sic enim habent. μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, οὐ τοῦτο νομοθετεῖ, ὅτι ἀπὸ γυναικὸς εἶναι δεῖ πάντως τὸν ἐπίσκοπον, ἀλλ' εἰ γίνεται, φησὶν, ἀπὸ κοσμικῶν, μὴ εἴη δευτερόγαμος, ἢ ὅτι μίαν ἰδέτω πρὸς μῖξιν γυναῖκα τὴν νόμιμον, πλὴν ἵνα πρὸς ἐπισκοπὴν κληθεὶς, ἐκεῖνο πληροῖ, ἵνα οἱ ἔχοντες, φησὶ, γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι, καὶ θέλω πάντας εἶναι ὡς κἀγώ, φησὶν ὁ παῦλος. Vnius vxoris virum, non de hoc legem fert, vt vxorem omnino habeat Episcopus, sed si sit, inquit, ex mundanis, ne sit tamē is, qui iterato se nuptijs implicarit, vel vt discat vnã quidem vxorem ad coitum legitimam esse, sed vocatus ad Episcopatū, illud impleat, vt qui habent (inquit) vxores, tanq̃ non habentes sint, & volo omnes esse sicut & ego, inquit Paulus. Ex ijs patet, vnius vxoris virum dici, qui habuit vnam, nō solum

Videat Bucerus, qui id fiat contra doni rationem.

qui

qui habet, alioqui ijs verbis legem ferret Apostolus, vt Episcopus vnam semper habeat vxorem, quod non fieri, scholia admonent, & illud interim docent, non exigere id appellationis vim, quod tu tradis, sed manere nomē, rei ratione sublata. Et certe maritus, vxor, nouerca, nurus, priuignus, socrus, socer, & alia affinitatum nomina, extincta relationis causa manere, est vsitatissimum linguis ambabus, tum Græca, tum Latina. Id quod in Leuitico & Deuteronomio, vbi gradus affinitatis prohibētur, obseruatur. At vero tu ex Chrysostomo suffragium petis, quem tuæ sentētiæ adstipulatorem confidenter laudas, in illo explicando multus es, & tanquam aduersarios omnes illius testimonio læsos, prostratos habeas, magnum adornas triumphum. Crimen falsi intendis cæteris, ipse falsarius manifestissimus. Cū maxime agas sophistam, oēs alios notas sophistices. Chrysostomum q̄ non sincere tractes, videamus. Ille enim enarrās illud Pauli ad Timotheum, vnius vxoris virum, sic scribit, οὐ νομοθετῶν τοῦτο φησίν, ὡς μὴ εἶναι ἐξὸν ἄνευ τούτου γίνεσθαι, ἀλλὰ τὴν ἀμετρίαν κωλύων. ἐπειδὴ ἐπὶ τῶν ἰουδαίων ἐξῆν, καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταυτὸν γυναῖκας. Chrysostomus. Nō tanq̄ legifer hęc tulit, quasi absq; hoc nō liceret esse, sed vt immodestiam coercens, quandoquidē inter Iudæos liberū erat, et secundas nuptias inire, & duas

simul

simul habere vxores. Idem Chrysostomus, eadem verba in epistola ad Titum explicans, sic habet. ἐπιστομίζει τοὺς αἱρετικοὺς, τοὺς τὸν γάμον διαβάλλοντας, δεικνὺς ὅτι τὸ πρᾶγμα οὐκ ἔστιν ἐναγὲς, ἀλλ᾽ οὕτω τίμιον ὡς μετ᾽ αὐτοῦ δύνασθαι καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον. ἐν ταυτῷ δὲ καὶ τοὺς ἀσελγεῖς κολάζων, καὶ οὐκ ἀφεὶς μετὰ δευτέρου γάμου τὴν ἀρχὴν ἐγχειρίζεσθαι ταύτην. ὁ γὰρ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν μηδὲ μίαν φυλάξας εὔνοιαν, πῶς ἂν οὗτος γένοιτο προστάτης καλός. Os hæreticorum obturat nuptias damnantium, ostendens, ꝙ matrimonium res sit non impura, sed adeo veneranda, vt possit quis etiam cum ea sanctum conscendere thronum. In eo autem intemperantes cohibet, cum non permittat eum, qui secundas nuptias inierit, hoc munus aggredi. Qui enim in defunctam nullam beneuolentiam retinuerit, quo modo hic probus præses futurus est?

Hactenus Chrysostomum recensui, tum Græcum, tum a me Latinum factum, vt liberum pateat lectori iudicium. Nunc excutiam sophisticam tuam, qua duplicem & hypotheticam Chrysostomi sententiam vnam facis, quo magis causæ inseruias tuæ. Ait Chrysostomus duo licuisse Iudæis, καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταυτὸν γυναῖκας, hoc est, & secundas inire nuptias, & duas eodem tempore habere vxores. Duo dixisse Chrysostomum, ipsa connexio demonstrat, dum dicit, & secundas inire nuptias, & duas

simul

simul habere vxores. Ipsa enim in initio sententiæ coniunctionis redũdantia emphasim quandam habet connexionis diuersorum, quod si illam coniunctionem omisisset, atque ita scriptum reliquisset Chrysostomus, Inter Iudæos licebat secundas nuptias inire & duas simul habere vxores, ambigi probabilius posset, num forte quod coniunctionem sequitur, duas simul habere vxores, aut tanquam ex priore parte illatio, aut tãquam eiusdem interpretatio acciperetur. Ac si dixisset, Iudæis permittebantur secundæ nuptiæ, & duas simul habere vxores, id est, vnde eueniebat, vt duas simul haberent vxores, aut (&) hoc est, duas simul habebant vxores. Sed omnis hæc ambiguitas cum rei ipsius natura tum redundantia coniunctionis tollitur, facitque vt sit propositio coniunctiua hypothetica, duo diuersa cõnectens et distinguens, perinde clare ac si dixisset, Duo licebãt Iudæis, vnum secundas inire nuptias, alterum, duas simul habere vxores.

Velis nolis Bucere, ipse orationis contextus sic habet, ipsa cõiunctionum geminatione dilucidus. Vnde apparet Chrysostomum in priori parte sententiæ notasse vere digamos, hoc est, secundis nuptijs bis maritos effectos: in posteriori eos, qui patrum in pluralitate vxorum exempla imitarentur.

 tur.

tur. Nam alioqui qui secūdas nuptias contrahit, primis quocunq; modo dissolutis, non hic iā duas, sed vnam tantummodo habet vxorem, nempe illam solam, quam secundo duxit, a priori videlicet, vel morte, vel iure, quod apud Iudæos in libello repudij obtinebat, solutus & liberatus, vt non sit idem, quod tu vis, secundas inire nuptias, & duas simul habere vxores, cum duas iniens nuptias, vnam tātum habeat vxorem. Duo dixit Chrysostomus licuisse Iudæis, quorum alterum, duas simul habere vxores, Christianis nunquam permissum, alterum, secūdas inire nuptias, timide in veteris ecclesiæ rudimentis concessum & dissimulatum potius quam aperte probatum, adeo quidem, vt pœnitentiam indicerent Clericis, qui illis interfuissent. Ipsos autem coniugia repetentes, a sacris ministerijs arcebant, tanquam immoderatos & immodestos, quos prioris fœderis memoria et in defunctam affectus a nouis amoribus non contineret. Ita enim philosophabatur illorum temporum castitas, quam efferuefacta libido, & ad omnem hodie licētiam excitata & inuitata voluptas, ferre non potest. Sed te autore, habeat vnusquisq; vxorem, id est, ducat vxorem, ne cunctetur autem ducere inuitus, adeo atq; in gratijs ducat ex præcepto Apostoli, vt tu vis, propter fornicationem,

Non est tamen vnius vxoris propter alterā, quā habuit.

nisi

nisi quidem dono cœlibatus donetur, quod ne-
mo scit sibi esse donatum. Improbas Ambrosium
Calmaldensem, quod reddiderit ἀπελθοῦσαν desun-
ctam, in illo Chrysostomi ad Titũ, quod verbum
tu vis significare discedentem. Quid id tua? quid
probes, quid improbes, dum tua quoquo modo
struas? & quæ obsistant omnia, aut auerras peni-
culo, aut auertas vi? Ita ne vis Chrysostomum in-
telligi, quasi eum notaret, qui in vxorem disceden
tem beneuolentiam non retinuerit? Nempe quo
illa discederet obsecrò, vt locum daret secundis
nuptijs, nisi e vita cederet? Nam quæ ex libello re-
pudij dimittebatur, eam non discessisse dices opi
nor, sed tanquam male meritam, eiectam, atque
domo protrusam esse, in quam haud credibile est
à marito exigere Chrysostomum, vt beneuolen-
tiam ab ipsa violatam retineat. Id quod etiam ti-
bi non erat obscurum, quum affingeres Chryso-
stomo, quasi de eo loqueretur, qui immerentem
vxorem repudiarit aut inhumaniter tractarit. Fa-
cis Bucere, quod structores Lesbij, lapidem nor-
mæ & normam lapidi accommodas, vt structu-
ræ tuæ materia suppetat. Repudiata vxor, siue id
merita, siue immerita, certe non discedit illa, sed ex
pellitur, & tamẽ hãc facis Chrysostomo paraphra
sim, quasi eiusmodi discedẽtem significarit, quod

 etiam

etiam quoniam tibi non satis quadrare videba-
tur, addis, aut inhumaniter tractarit, vt ipsa disce-
dat, quasi discedentis vxoris sit semper mariti cul
pa, qui inhumaniter tractarit, & ori illi aureo ver
ba defuerint, quibus animi sui sensum posteris si
gnificarit, id quod si per te liceret, fecit dilucide,
mortē vxoris eleganti tropo participij exprimēs,
vt docte & vere reddiderit Calmaldensis ἀπελθοῦ-
σαν defunctam, habita ratione tropi, quem locus
exigebat. Quæ enim vita hac functa inde abierit,
recte abijsse dicitur, quod verbum ἀπελθεῖν sonat,
ad quod exemplum etiam Latini vita cedere &
decedere dicunt eos, qui ab hac vita morte mi-
grarunt. Adsint nunc, quos conuocare ad tri-
umphum soles, & cachinnos in te ac sibilos tol-
lant, si æquos se spectatores probare velint. Chry-
sostomus enim cum vinculum matrimonij mor
te dissolui non ignoraret, beneuolentiam tamen
interire noluit, sed in superstite marito conseruari
in defunctā. Vt enim immodicus ille luctus, tan-
quam eorum, qui spem nō habent, merito impro-
batur: sic qui vxores defunctas amica & beneuo-
la memoria prosequuntur, nec statim nouos ad-
mittunt amores, magnum suæ in præteritum ca-
stitatis de se testimonium dant, & thorum in ma-
trimonio honestum se quæsisse ostendunt, non
cor-

corporis voluptatem. Non illi damnantur tamen, qui secus faciunt, sed hanc in illis temperantiam exigit, qui cæteros moribus & doctrina præire debeant ad imitationem. Quarta tua cautio sic habet.

Inspice nūc & quartam cautionem. Cum scripsisset Apostolus, Volo vos absq; sollicitudine esse, & subiunxisset, eos qui soluti sunt coniugio, curare quæ domini sunt, vt placeant domino, & sint sancti corpore & spiritu. Coniuges autem ea curare, quę mundi sunt, & quomodo placere possint alter alteri, mox adiecit, ne cui hæc cœlibatus commendatio causam præberet periculi. Hoc vero, inquit, ad vestram vtilitatem dico, non vt cuiquam laqueum inijciam, sed eo solum, quod pulchrum sit, & huc conferat, vt aliquis assiduus & indiuulse domino adhæreat. Et hęc Pauli verba quæso consideres Latome, & vide, an non ex ijs vere & certo concludatur, esse quosdam, quibus ipse cœlibatus, non solum nihil confert ad id, vt domino semper & citra impedimentum inseruiant, sed potius laqueum inijciant, quo vincti & irretiti, satanę se tradant, quo & in nefariam vitæ spurcitiem eos pertrahat, & amore omni studioque Dei vacuet, & a societate regni prorsus excludat. Habet enim quisq;, vt supra dixit, suum Bucerus.

 propri-

Proprium est, q̃d quisque elegit suum fore.

proprium donum, hic quidem ad matrimonium, alius autem ad cœlibatum. Qui prętor hoc aliquid audet, is domini se præsidio subducit, & satanæ insidijs & vi se sponte obijcit.

Vvinton.

Videbatur Paulus toties optare omnes sui similes, & ad quamq; occasionem in cœlibatus laudes tam frequenter prorumpere, vt non immerito suspicarētur aliqui illum moliri oblique omnes ad cœlibatum pertrahere, & quod alioqui liberæ electionis foret, in necessitatem deducere præcepti aut instituti, id quod laquei instar in collū iniecti rationem haberet, atq; ita interpretātur veteres commentatores. Sic enim est in scholijs Græcis. τοὺς δὲ περὶ παρθενίας λόγους, φησὶν, ἐκίνησα, τοῦτο ὑμῖν συμφέρειν εἰδώς, οὐχ ἵνα δὲ ἀναγκάσω ὑμᾶς καὶ θέλοντας καὶ μὴ θέλοντας παρθενεύειν· τὴν γὰρ ἀνάγκην βρόχον καλεῖ. Hunc de virginitate sermonem habui, cū sciam id vobis profuturum, non autem vt cogam vos, siue volentes, siue inuitos in virginitate manere, necessitatem enim appellat laqueum. At Bucerus nouo isto mēdacij spiritu, qui orbem hodie multis in partibus occupat, afflatus, aliam causæ suę commodam fingit interpretationem. Notat ijs verbis inesse cautionem, ne quis cœlibatū appetat, quippe qui multos teneat irretitos, & pręstet impedimentū dominum obsecrandi. Deniq; laqueū ad cœlibatū detorquet,

torquet, quasi Apostolus tã rudis dicendi fuisset, vt quod summo apud illos honore & magno æstimari voluisset, infamis vocabuli metaphora eleuaret, tanq̃ si cœlibatus ipse laqueũ iniiceret hominibus, & diuersam ab eo, quod ipse traderet, habuisset rationem. Apostolus autem hac metaphora significat nihil se præcipere, sed adhortari, non necessitatem afferre, sed ad honesta animos excitare. Fit quidem hominũ culpa, vt multi cœlibatu irretiantur, & itẽ matrimonio. Et certe Bucere, quo remedio liberas (hoc est, humano) cœlibes, eodem etiam subleues male coniugatos oportet, vt habeant vterq; vxores propter fornicationem. Nunq̃ euinces, quin vna sit ratio, quum (vt tu fateris) vtrinq; etiam donum sit, cũ cœlibatus, tum matrimonij. Et quid te autore futurum quęso, si quis incidat in vxorem, quæ temere se marito citra donũ iunxerit, atq; ideo male cesserit cum viro coniugium? id ne viro noceat, vt ęstuet & vratur, quia vxor citra donum nubendo, domini se præsidio (vt verbis tuis loquar) subduxerit, & temere satanæ præsidio ac vi se sponte obiecerit? Ad cõtinentiam carnis negas preces valere citra donum? ergo ad donũ certe obtinendum valeãt, quod tantundem est. Minime vero inquis, Deus enim sua dona non nostro arbitrio, sed iudicio

suo

ſuo diſpenſat, quibus & quando vult. Audio,& illud quæro,num huic vni proderunt preces,qui fœminam ſemel petijt? cœlibi non proderunt, quia confidenter & arroganter auſus ſit ſupra ſortem ſapere,et vitam cœleſtem meditari terrenus? Impie philoſopharis de Dei donis, & Dei benignitatem, hominum moribus ſtulte metiris, ac hominum denique impuritati nimium adblandiris, dum Dei dona prædicas, quaſi certis illa homines diſtinguant ingenijs ac naturis, ratis omnino illis & immutabilibus, vt noſter tantummodo error ſit in vitæ inſtituto deligēdo,Dei autem tanquam ex ſerie cauſarum præſtituta ratio, ſecundum quam ordine quodam obſcuro & immoto dirigit vniuerſa. Iſta etſi non dicas aperte, multis tamen modis inſinuas. Alioqui vero cur Deum negas ad continentiam impetrandam flecti precibus,cum ſit totus miſericors,qui prope ſit omnibus inuocantibus eum? Non habes, quod reſpondeas,niſi quia donum ille nō dederat. An vero præterit aliquando Deum dandi tempus, apud quem nullis momentis diſtincta eſt æternitas, ſed præſentia omnia? Tu confugies ad hominum mores, qui poſt multas & aſſiduas ad Deū preces, etiam turpiſſimi euaſerunt. Ergo ab iſtis quicquam ſtatues, quod orbi contra ſcripturam

pro

pro doctrina tradas? Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, ſpiritus ſanctus in ſcripturis intonat. Quid ſibi vult (quicquid) num eſt vniuerſale? num hic quicquam excipit ſpiritus ſanctus? & tu audebis quicquam in tua doctrina excipere? Hic te reuoco ad primam cautionem, quam ſimili argumento tractaſti, vt tuis tetelis iugulem. Iam confugies opinor ad prædicatum, vt inde modum ſigno facias vniuerſali, dicesq; non peti in nomine Chriſti, quod extra ordinem petitur donorum, & nuptias eſſe vnicum remedium vſtionis. Dic ergo nobis, quando ſibi hæc dona perſuadeant adeſſe homines? cum alijs tardius, alijs citius æſtuet libido? Aut qui ſciat vir donum (quod prædixi) adeſſe vxori, aut vxor viro? ne alterius ſaltem temeritas alij noceat & ſit impedimento? nunquam ne etiam per vos vouere liceat facto plurimos annos de continentia periculo? Nunquam, inquies, quum non ſit tentandus Deus, nec oratione laceſſendus, niſi poſt expetita remedia. Has enim partes delegauit Deus fœminis, itaque ad illas, qui vritur, eſt relegandus. Duras partes prædicas hominum, vt aut ducenda ſit vxor, aut perpetuo æſtuandum. Quid illis fiet, qui in conditionibus nuptiarum deligendis conſeneſcunt? aut propter corporis

 defor-

deformitatē generisue ignominiam, etiam si maxime id appetant, vxores non assequuntur? An hac parte infelices de dono sunt securi? Nunquā te hinc expedires Bucere, si singula prosequerer, & certe nimis inconsiderate tibi excidit illud, vt negares valere apud Deum preces ad explicandas angustias humanæ miseriæ. Ne credas temere cuiquam, qui se serio & bona fide de continentia apud Deum egisse dicat, denique oratione, ieiunio et corporis castigatione nihil obtinuisse. Solent ista ad tuendam verecundiam ab istis confingi, qui post multos in cœlibatu transactos annos primam fidem irritant, & in omnem proruunt repente libidinem. Quo etiam consilio, vt tuam causam agas, hominum ponis in donis ignorantiam, quippe qua se tueantur ij, qui neglecto voto ad matrimonium conuolant, scilicet vt errorem cum laude corrigere potius, quam susceptum vitæ institutum inconstanter & leuiter mutare videātur. Et certe melius est de media via recurrere, quam semper currere male. Vnum tamen scrupulum video restare, quibusnam momentis ex Academico fit Stoicus, vt inter vtrunque donum cœlibatus et matrimonij ambiguus, sciat deinde & comprehendat matrimonij se donum habere? Negociosa res est Bucere nouam

doctri-

doctrinam fingere. Aliud semper ex alio incidit, quod constantiam impediat & perpetuitatem. Nunquam efficies, vt mendacium non sit aliqua sui parte hiulcum & dissonum. Vales, vt video, fingendis cautionibus, sed omni parti vt succurras, dum nimium caues, ipse cautor captus es, & turpiter in mendacio aut absurdo hæres. Sic nimirum sapiunt, qui contra veritatem sapiunt, viri alioqui docti & ingeniosi. Sed quintam cautionem audiamus.

Postremo, quanquam hæ, quas diximus, cautiones & moderationes laudati cœlibatus, præsertim adeo plenę & accuratæ, sufficiebant abunde, tamen quoniam Apostolus commendationem vitæ cœlibis adhuc aliquot verbis prosequi voluit, operæ precium esse iudicauit & his admonitionem suam de sanctitate matrimonij adiungere. Si quis, inquit, indecorum virgini suæ putat pręterire nubendi tempus, & sic debet fieri, quod vult faciat, nō peccat, iungatur matrimonio. Item, qui elocat nuptū, bene facit. Item, si dormierit maritus illius, libera est ad nubendū cui velit, modo in domino. Adiecit de virgine quidē, Qui non elocat nuptum, melius facit. Et de vidua, Attamen beatior est, si sic maneat iuxta meam sententiam. Sed cur facit nō elocans virginem suam melius: Bucerus.

 & cur

& cur est soluta matrimonio beatior, si vidua perseueret, quam si rursus nubat? Quia, dices, diuinioribus rebus liberius incumbere potest & virgo & vidua, & ad vitam futuram esse expeditior, quam quę nuptae sunt. Recte, si quidem in hanc vitae conditionem vocatae sint. Sin minus, tam profecto abest, sicut iam demonstratum est, innuptas diuinioribus rebus magis esse deditas, & ad vitam aeternam expeditiores, vt etiam rebus prophanis, carnis & mundi, turpius seruiant, et in impurā huius seculi vitam sese profundius immergant. Propterea dixit antea de volente virginem suam tradere nuptui, Et sic debet fieri, & de volente seruare virginem, Non habēs necessitatem, habens vero propriae voluntatis potestatem, indubie, quia singulae tam virgines quam viduae donum suum proprium habent, vt seruiant domino, aliae matrimonio solutae, aliae autem in matrimonio. Quae ergo donum habent coniugij, eae debent matrimonio iungi, idque lege & vocatione Dei, cui vt impie, sic & infeliciter audet opponere se, contraque niti omnis humana praesumptio. Quibus igitur harum est demandata cura, siue parentes illi sint, siue quiuis alij, hi certe facultatem non habent, vt innuptas asseruent, sed necessitas eis incumbit, vt in coniugium tradant.

Ad has enim pertinet, Et debet sic fieri. His enim vel parentes vel quicunq; tādem præsunt, nullam in eas nisi ad salutem earū potestatem habere possunt. Cum ergo talibus in laqueū perditionis, nō in adiumentum vitę cœlestis valeat cœlibatus, potestas seruandi illas innuptas adeo nulla vel parentibus vel curatoribus earum vllis esse potest, vt etiam omnino debeant eas nuptui dare, facturi alioqui non bene, si eiusmodi siue virgines siue viduas non elocent. Nam hoc ipso miseras & perditas reddent, non beatiores, vt in tot hodie cœnobijs conspicitur. Etenim cum eiusmodi donum & vocationem ad vitam pure cœlibem transigendam non habent, tantum abest, vt cum ad cœlibatum adiguntur, relictis negocijs & delicijs mundi, solum adhæreant Deo, seq; totas tradant, & corporis & animæ sanctificationi, vt ex his non paucæ, quibus id modo, vel per homines, vel oportunitatem loci cōceditur, abiecto simul cum cura rerum cœlestium, omni quoq; pudore, lupæ fiant impurissimæ. Quam quidem turpitudinem & spurcitiem (Deus bone) quam multis in locis cū summo Christianę Reipublicę dedecore cōspicimus?

Equidem Bucere nihil hic simile cautionis contra cœlibatū video, videlicet in extremo actu tanquam poeta negligens turpiter concidisti. Nam Vvinton.

quod addis Paulum additurę adhuc aliquid lau dibus cœlibatus,adiūgere etiam quædam de ſan ctitate matrimonij, adiungit quidem, ſed frigide, prout in initio dixerat,ſecundum tuam interpre= tationem, atq; adeo ieiune ac parce matrimoniū prædicat,qui nihil aliud q̄ vindicat a peccato. An hęc vlla tibi contra cœlibatum cautio videtur, vt dicat, qui elocat nuptum, bene facit & non pec= cat? Imo vero deprimitur matrimonium, quum cœlibatui in collatione aperte poſtponatur, vt cum aiat, Beatior eſt vidua, ſi ſic permanſerit. At hic tu diſtinguis inter vocatas & non voca= tas, vt vocatarum quidem virginum cœliba= tus ſit melior, non vocatarum deterior. Iam vi= de quæſo, quanto vſui ſunt diſtinctiones cum vno vocabulo, & illo non intellecto, affirmati= one & negatione diſtributo, omnem tuis tam facile reſeces dubitationem, & alterutram quam= cunq; libuerit partem,aut cōfirmes, aut perimas. Age Bucere cœlibatus ne præſtet matrimonio? non præſtat, inquies, in virginibus non vocatis. Iterum quęro, cœlibatus ne præſtet matrimonio Bucere? Certe, inquies, in vocatis quidem. Vno verbo vocatiōis,cuius tibi ſenſum retines, ſi tamē quicquā ſentis eorum,quæ loqueris,apertam A= poſtoli doctrinā confundis. Dic notas vocatio= nis,

nis, dic donorum ſigna, vt certius teneamus, quod ſuſcipis docendum. Pater virginem vocatam retinere poteſt, non vocatam non poteſt, ſed habet neceſſitatem eam elocandi. Ab ea enim parte ſtatuis neceſſitatem, ab altera poteſtatem, omnino a contextu aberrans. Deinde propriȩ voluntatis ad filiam refers, & quod de patre dicitur, filiæ tribuis, quo nihil vnquam legi perplexius, nec mirum, ſi te a Labyrintho non expedias, diuerſam ab exitu viam ingreſſus. Toto (quod dicitur) erras cœlo Bucere. Tantum eſt, ſine dono & vocatione Dei nihil conſtitui præclari in vita, omnes ſciunt. Non poſſumus enim aliquid cogitare ex nobis, tanquã ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Sed tu aliam formam & efficaciam vocationis & donorum fingis, alium modum ſapit ſpiritus tuus mendax, quam hactenus ſapuit eccleſia catholica. Neſcio quid fatale neceſſarium ſcripta tua olẽt, quod ipſe non audes orbi prodere aperte. Certe tam parum tibi cauiſti in hac quinta cautione effingenda, vt neſcio quid ſtulte confuderis & miſcueris tam inſipide, vt ad minuendam aliqua ex parte ſtultitiam tuam me libuerit (vt video) inducere, & falſo conficto mendacio diſtinctionem mihi tribuere, quam eſt illa tua, longe ſtolidiorem, ſcilicet vt meæ ſtultitiæ exuperantia tuam aliqua ex

 parte

parte obscurares. Sic enim de me scribis.

Bucerus. Episcopus V-vinton. Anglus, qui legatum sui Regis agebat in postremis comitijs Ratisbonæ, homo multorum iudicio peracutus, contendebat ex hoc loco Pauli, Si quis firmus in corde suo constituit & decreuit seruare virginem suam, bene facit, Regi suo licere, vt sacerdotes proposita pœna capitis, ad vitam cœlibem adigeret. Dicebat enim Regi patri patriæ hac in re non posse minus esse iuris in suum populũ, quam sit patribus & ciuibus priuatis in liberos cuique suos. Cumque monerem illum, vt & ea, quæ Apostolus illis verbis, quæ citabat, interposuisset media, considerare, Non habens necessitatem, potestatem vero habet voluntatis suæ. Quibus verbis dicebam Paulum moderatum potestatem patriam, et clare significasse, cum patres idcirco potestatẽ habent in liberos suos, vt salutem illorum non lædant, sed modis omnibus procurent, ijs, qui habent virgines non vocatas diuinitus ad cœlibatum, non esse potestatem illas seruandi, sed necessitatem incumbere potius eas elocandi. Tum ille respondebat, potestatem, de qua loquitur hic Paulus, referri ad facultates rei familiaris, ac si Apostolus voluisset dicere, Si quis non patitur necessitatem elocãdi virginem suam propter rei familiaris te-

ris te-

ris tenuitatem, ſed habet poteſtatē voluntatis ſuæ, id eſt, tantas opes, vt alere virginem ſuam ipſe poſſit. Quaſi vero poteſtatem elocandi filias anguſtia patrimonij non ſæpius adimat, quam ad elocandam impellat, aut quaſi Paulus in modo facultatum poſuiſſet virgines vel elocandi neceſſitatem, vel non elocandi poteſtatem. Sic ſapiunt ingenioſi & docti alioqui viri, cum volunt ſapere contra dominum.


Huic ergo mendacio omnium impudentiſſimo iam antea reſpondi, & tam vere negaui, quam tu vane & impudenter cōfinxiſti. Cautiones item tuas, quarum hoc inſigne mendacium tanquam clauſulā feciſti, veritatis illuſtrādæ cauſa, & tui ſpiritus indicandi gratia pertractaui. Planum autem feciſſe me arbitror, hominem te planum, vanum, vafrum, callidum, vnum illud moliri, vt ſpiritus ſancti obtentu (cuius frequentem mentionem facis) ſpiritus tui mendacis errores apud incautos ſpargas, & carnis cauſam agens, animas ad interitum pertrahas miſerandum. Nunquam ne larua excutietur tua? nihil ne in hoc conferet tam impudens in me confictum mendacium? Tuo ne quiſquam poſthac credet ſpiritui, qui audes in publicum tam aperte poſt totum triennium ſine omni occaſione mentiri? Oſtendi & legi meis ipſa auto Vvinton.

gra-

grapha, quorum exempla apud te habes. Illa ede & me, si potes, redargue: sin minus poteris, agnosce Bucere diuinam clementiam te ad pœnitentiam inuitantem. Persuaserant tibi tui me fortasse aut mortuum iam, aut ita prostratum atq; abiectum, vt ne auderem contra hiscere. Qui tibi hoc pacto audaciam addiderũt, illi falsi, tu captus es sorex indicio tuo. Tuũ mendacium apud nos manifestum est, & orbis (nihil dubito) veritatem agnoscet, quo tui spiritus vanitas eo clarius condemnetur. Satis iam satis a te lusum est Bucere, cede veteribus, cede vero. Orna veris verum, & causam varitatis (vt par est) reuerere. Disperdet enim dominus vniuersa labia dolosa & linguam mendacem. Resipisce, & ora Deum, si forte det tibi pœnitentiam, vt valeas in domino. VI. Calendas Augusti. D. M. XLIIII.

BARTHOLOMAEI LATOMI ADVERSVS MARTINVM BVC-cerum, de controuersijs quibusdam ad religionem pertinentibus, altera plenaque DEFENSIO.

Capita sequens pagina indicabit.



Coloniæ ex officina Melchioris Nouesiani. Anno M. D. XLV.

Capita sunt hæc.

De dispensatione eucharistiæ.
De inuocatione diuorum.
De cœlibatu sacerdotum.
De authoritate ecclesiæ.

His accessit criminum depulsio, quæ primo loco tractatur.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC domino, Ioanni Ludouico, Archiepiſcopo Treuirenſi, ſacri Imp. Ro. per Galliam archicancellario, principi Electori, &c. domino ſuo colendiſſimo, Bartholomæus Latomus ſalutem.



VANTAS aduerſum me copias Buccerus in aciem coegerit, antiſtes reuerendiſſime, quantaq; vi atq; iniuria ſententiam meam de religione, quam ipſe familiariter a me efflagitarat, oppugnauerit, minime obſcurum eſſe puto ijs, qui librum illius nuper contra me æditum legunt. Mihi certe præter expectationem accidit, vt cum illo in tam iniquum certamen venirem: non quod noua atq; inſolẽs res ſit, ſtudioſos literatoſq; homines inter ſe ſcriptis decernere, ſed cum genus literarum ſtudiaque ipſa profeſſionum inter nos diuerſa ſint,

 cumq;

cumq; ego nullam illi iustam oppugnationis causam sciens præbuerim, nunquam futurum esse putaui, vt me non modo hostem sibi deligeret in decertanda causa religionis, quæ non nisi maximis præstantissimisq; patronis deferenda erat, sed nomen etiam existimationemq; meam falsis inuidiosisq; criminationibus premere conaretur. Etenim suscepta veritatis reprehensione, quam contra patrum sententiam, contraq; longissimam ecclesiæ consuetudinem ex adumbrata scripturarum authoritate fulcire nititur, in me perpetua insectatione ita fertur, vt præter alias calumnias apertissimas, quas in me inuidiæ causa obijcit, oppugnatorem euangelij, defensorem concubinatus, impietatis atq; idololatriæ assertorem & constituere me, & verbo interim appellare minime vereatur. Quę quidem cum atrocissima sint, cumq; falso in me & calumniose intentata, quid mihi faciendum fuisse censes? nisi vt opposita defensione depellerem iniuriam, causamq; non meam tantum, sed etiam ecclesiæ pro virili mea ita agerem, vt ne victa ab errore veritas, a temeritate religio atq; innocentia expugnata esse viderentur. Equidem semper abhorrui ab ijs contentionibus, quæ prolatæ in publicum plus offensionis atq; inuidiæ, quam veræ vtilitatis apud optimum quenq; habere solent. In hoc

vero

vero certamine detrectando, quæ satis digna excu satio ignauiam meam tueri possit? siue causam ipsam spectes, coniunctam communi cum periculo, siue atrocissimorum criminum obiectionem? Enimuero res talis agitur, quæ ad veritatem religionis, ad pacem ecclesiasticam, & ad salutem vniuscuiusque pertinet: in qua quod pręsidij quisque possit, nisi in medium conferat, pro desertore merito habeatur. Mihi autem nominique meo eiusmodi persona imponitur, vt aut refellendum sit impietatis crimen, aut si taceam, fateri culpam apud aduersarios videar. Quis igitur defensionem hanc meam improbet? aut quis non iustam potius atque necessariam esse confiteatur? Nisi forte quia paratior est aduersarius in hoc campo, gratiaque apud quam plurimos & authoritate me superat, idcirco tacendum mihi fuit: dissimulandaque iniuria, quæ hoc ipso non meæ tantum existimationi grauior, sed etiam ecclesię dei infestior accideret. Non enim ignoro hoc dici a multis, nec deesse, qui quasi offensi temeritate mea, grauiter ferãt hoc certamen oblatum esse Buccero, factumque meum improbent. Quibus ego sane ita respondeo, me neque ingenij mei fiducia, neque literarum opinione vlla suscepisse hanc defensionem, sed causa sola fretum, quam non veram modo atque inuictam, sed etiam

probabilem esse semper iudicaui. Itaque minime contempsi aduersarium, sed neque horrui vnquam, Dauidem spectans contra gygantem, cuius exemplum vtinam imitari possim, rudis contra veteranum, imbellis contra multarum palmarum decertatorem. Etenim meam inopiam nunquam dissimulaui, neque mearum virium æstimatione, vllisue opibus huc adductus sum, quas scio quam tenues, ac propemodum nullæ sint, si cum aduersarij copijs conferantur. Quid igitur est? Num idcirco patiar me opprimi indefensum? nomenque meum traduci falsa inuidia? Nihil præsidij a labore atque industria? nihil ab ecclesiastica authoritate roboris atque consilij petam? quæ certe aut sola est in terris, quæ de omni pietate ac religione recte iudicat, aut si hæc non est, non video ad quem portum veritatis extra eandem tuto atque salubriter accedi possit. Tibi igitur gratias immortales ago patrone colendissime, qui studijs meis peperceris in hoc opere, tantumque ocij ab aulicis publicisque negocijs mihi concesseris, quantum, si non ad explicandam pro dignitate hanc causam, saltem pro conatu ac sedulitate qualitercunque agendam, satis esse potuit. Etenim temporum interualla cum tuis ratiōibus partitus sum, vt quicquid aulicis occupationibus per indulgentiam tuam decederet, eodem bene-

ficio

ficio tuo in hanc operam impenderem. Quid restat igitur, nisi vt te præsidem quoque atq; patronum huic æditioni nuncupem? te inquam, qui episcopali dignitate prȩditus catholicam religionem ita amplecteris, vt magnum prȩsidium ecclesiæ tuȩ his periculosissimis temporibus in tua pietate atq; constantia positum esse minime dubitetur. Etenim mens pia, ac veri rectiq; tenax, animus pro religione occumbere etiam paratus, qualem te pijs præstant? qualem pastorem hoc tempore commendant populo? Nemo idoneus est ad pericula, qui facile deijcitur. Tua virtus tanto illustrior apparebit, quanto maioribus tormentis oppugnabitur. Adesto igitur huic quoq; dimicationi meæ, & quantum potes, studio adiuua, vt cum cæteris fortasse rebus in aduersarium steterit oratio mea, tua quoque authoritate munita & prodire in lucem audacius, & contra inimicorum inuidiam consistere minime vereatur. Vale.

Confluentiæ Nonis Decembribus. M. D. XLIIII.